Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Petrus Musaeus Joachimus Lonnerus

Contra Edoardum Herbertum Baronem Anglum, pro Naturalis religionis ad salutem sufficientia diputantem, Dissertatio Prima, qua in antecessum Nova Auctoris Methodus de investiganda veritate examinantur ... Preaside Petro Musaeo, S.S. Th. Doct. ... Respondente Joachimo Lonnero, Publicae Eruditorum syztsei exposita ...

Kiloni: Reuman, 1667

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786517301

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

52 b. 6.

82.

313

Fa-1092 (82.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786517301/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786517301/phys_0003
DFG

Contra
EDOARDUM HERBERTUM
Baronem Anglum,
pro
Naturalis religionis ad salutem sufficientia disputantem,
DISSERTATIO PRIMA,
quâ
in antecessum
NOVA AUCTORIS METHODUS
de investigandâ veritate
examinatur,
D. O. M. A.
PRÆSIDE
PETRO MUSÆO S. S. Th. Doct.
& Profess. Primar. Academiæque h. t.
ProCancellario,
Respondente
JOACHIMO LONNERO,
Publicæ Eruditorum συζητήσει
exposita
ad d. III. Non. Octobris.

Kiloni, Imprimebat Joachimus Reuman Acad. Typogr.
Anno clɔ Iɔc LXVII.

SUMME REVERENDO, ET
PERILLUSTRI
DOMINO
DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO,
A KIELMANSECK,
IN SATRUPHOLM, ET OBDORF
HÆREDITARIO.
Collegii Canonicorum, quod Hamburgi est, Præpositо, SERENISSIMO DUCI SLESVICI, & HOLSATIÆ &c. à Consiliis Aulæ Sanctioribus, Regiminis, ac Cameræ Præsidi, in Tritow, Reinbeck, & Morkirchen Præfecto, Domino meo submissa animi veneratione colendo.

PERILLUSTRIS, ET EX-
CELLENTISSIME DOMINE,

QUod gratæ mentis memores conati fuerunt plurimi, multiq; porrò sunt conaturi, ut debito semet suo apud tuam Excellentiam exolvant, idem & ego in præsenti conarer, nisi certũ mihi esset, beneficia, quibus Excellentia tua & Parentem nostrum, & me ejusdem filium obligavit, sicut omnem redhostimenti spem, ita & conandi rationem omnem præscindere. Quod proinde solvere sum impar, debere saltem me, submisso animo profiteor, quin & quia referre non possum, saltem ago gratias, idque animo copiosius quam calamo, vereor enim, ne sit minimum, quod maximum esse debet. Adjungo simul grati animi exiguum quidem, sed cer-

certum testimonium, quippe nullâ equidem commodiori ratione quàm Disputationis nuncupatione gratitudinem testari mihi fuit integrum. Exiguum, fateor, munusculũ propositoq; obtinendo haud idoneum exhibeo, malo tamen audaciæ vitio culpari, quam ingratitudinis crimine argui. Deus Optimus Maximus concedat tibi, PERILLUSTRIS DOMINE, Vitam longam, Valetudinem firmam, & perpetuam Felicitatem, quo diu SERENISSIMO nostro, diu Ecclesiæ, diu Reipublicæ Vivas, Valeas, Floreas! Concedat!

ita vovet

PERILLUSTRIS DOMINE

EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotus Cliens

Joachimus Lonnerus

Præfatio.

INfelicia fata jam inde ab incunabulis experta est Christiana religio, cùm primùm quidem à Judæis, tùm vi armisq; à Paganis, denique à Mahumetistis oppugnari & atrocissimè divexari cœpit. Contra quorum quidem seu vim & machinas, seu calliditatem & insidias, si à DEI providentiâ & auxilio discesserit, nusquam tuta fuere præsidia, nisi quòd S. Patres, qui primis seculis floruerunt, pro veritate Christianæ religionis, maximè contra Paganos, certatim scripta ediderunt, nemini ignorata, nisi qui æquè cum ignarissimis omnium antiquitatis monumentorum vivit ignarus. Nescio autem, an non hodiè magis suscipienda sit defensio Christianæ fidei, non tam contra externos illos hostes, quorum necdum deferbuit rabies, quàm contra domesticos, & in Christianâ Ecclesiâ natos atque educatos, quique non tàm machinas in apertam aciem producunt, ne malam causam prodant, quam per cuniculos atque occultè sparso impiarum opinionum semine id agunt, ut Christiana religio, convulsis fundamentis, aut exstinguatur planè, aut non in DEI honorem, & ex debita erga Deum obligatione, sed propace & emolumento reipublicæ servetur posthàc atq; colatur. Quo intestino & indies longiùs serpente malo etiam ÿ (horreo dicere) sepolluerunt, quos Christianismi esse defensores atq; antistites oportebat; adhuc magis horrendum, quòd primitus id mali invexerunt in patriam, & hoc pluribus persuadent, quò plus auctoritate pollent. Non sectas perstringo, in quas hodiè scissa & miserè dilacerata est Christiana Ecclesia, quanquam illarum quoque collisiones & certamina ac mutua odia alios absterrent à Christianismo adhuc exteros & peregrinos, alios jam domesticos ad turpissimam defectionem solicitant. Neque pe-

stilen-

ſtilentiſſimas hæreſes redarguo, quibus ab ortu, & aliquando ad internecionem uſque impetita fuit veritas Chriſtianæ fidei, quaſi jam jam exſpiratura, & exſpiraſſet, abſq; Dei fuiſſet auxilio; neq; dum ea quidem eluctata eſt, neq; priùs eluctatura, quàm ipſe in occaſum præcipitans mundus perierit. Sed aliud multò peſtilentius noto abominorq; ſidus, quod quos optimos Chriſtianos atq; religioſiſſimos eſſe crederes, extremæ malitiæ atq; irreligioſitatis halitu, non ſine metu contagij totum tandem Chriſtianum orbem occupaturi, afflavit. Non tam ſcilicet hodie quæritur, noſtrâne an Pontificiorum, an deniq; Reformatorum confeſſio fidei ſit verior; neq; tam diſputatur, an hæreſis ſit, quæ de filio Dei, Arrio vel Photino auctore, mordicus olim defenſa fuit ſententia, nec nullos etiãnum ſectatores reperit; quàm proh dolor! nefanda animos dubitatio, an nos ad colendum aliquod Numen ulla obliget religio, mox ipſa ad negãdi licentia ſubiit. Enimverò aut negant planè, eſſe aliquod Numen, quanquam ita ex animo quenquá hominum ſentire res ipſa vetat, aut ſi non exuerunt opinionem Divini Numinis, negant certè, ideò usque rerum humanarum curam gerere, ut animas poſt fata futuro judicio ſervet ſuperſtites, præmio vel pœnâ mactandas, prout benè vel malè meruerint. Contra quorum quidem ſacrilegam & conclamatam impietatem nihil attinet proferre rationum momenta, ut qui dum negant, quod ſua cuiq; ratio dictat, omnem rationem ejurarunt, ut ipſos inter & beſtias, præter os ſublime & erectos in ſidera vultus, nihil amplius intereſſe meritò arbitrere. Quid? quòd beſtiæ quamlibet brutæ nunquam non inſitum à natura inſtinctum & genium ſequuntur. Quibus haud paulò deteriores ſunt profani illi & athei brutiq; homines, qui à ſe ipſis diſcrepant, & contra inſtinctum naturalem, dum contra rationem, ſentiunt agunt q;. Non deſunt tamen ad hanc impietatem incitamenta, ius quidem, quos totos æſtus voluptatum, & honorum ac divitiarum cupido abſorbuit. Negant illi eſſe

li esse numen, dum non esse malunt, cui vitæ exactæ reddenda sit ratio, quò magis ut lubet, vivere sibi licere, vitiis suis blandiantur. Ad quod quidem protervitæ genus non uno momento actus, sed sensim & per gradus, præparatis initiò animis, adscenditur: dum labefactata revelatæ & Christianæ religionis veritate, nihil præter naturalem Dei cultum probatur. Quò si abduci se seducig; passa fuerint malè feriatorum ingenia, ut non amplius ex scriptura S. sed ex ratione capita religionis petenda esse arbitrentur; cum circumlatis posteà oculis, excussoque cœcæ ac pauperrimæ rationis penu, non invenerint, in quo potiundæ æternæ felicitatis fiduciam tutò collocent; quid aliud jam futurum putas, quàm ut abjectâ tandem salutis spe, opinionem quoque religionis ex animo dimoveant, præsertim deliniti licentiore & voluptatibus deditâ vitâ, in quam naturâ omnes sumus procliviores, & cui indulget securius, qui vindictam Dei non timet? In limine hujus nefariæ impietatis, nisi quòd ingredi cunctatur, jam firmato gradu consistit Edoardus Herbert, illustri ac Baronum familiâ natus, Dominus de Cherbury in Anglia, & Castri insulæ de Kerry in Hiberniâ, & par utriusq; regni. Edidit is librũ de veritate, prout distinguitur à revelatione, verosimili, possibili & falso: Cui aliud scriptum de causis errorũ adstruxit: ut taceamꝰ, quæ de Religione gentilium est commentatus. In omnibus his scriptis, maximè autem in primo, dum zelum præfert devotæ religionis, religioni tollendæ viam parat. Extollit rationem in religionis negotio, & quibus ipse delectatur terminis, instinctum naturalem communesq; notitias, ut specialis Dei revelationis huicq; innixæ fidei veritatem labefactet. Et licet nolit videri revelationem omni ex parte proscripsisse, ejus tamen normam constituit rationem, hisq; eam legibus & limitibus circumscribit, ut non possit non collabi tandem omnis, cui fides nostra innititur, revelatio. Quo quid agit aliud, quam ut securiores animos à

Christianismo ad naturalismum (liceat ita dicere) & à luce divinæ revelationis ad tetras caligantis ab se rationis tenebras abducat? In quibus si neque spei ancoram, neque appetitus satietatem, neque animi quietem repererint; jam in ἀθεΐας præsentissimo discrimine versantur; & quantulum abest, ut non statim inhumanæ illi & sacrilegæ impietati laxent animum ac devoveant? Atque hæc remur esse novissima illa tempora, de quibus vaticinatus est Salvator Luc: XVIII, 8. cum venerit Filius hominis, num reperturus est fidem in terra? *Neq; enim aliam Christus in ultimo suo ad judicium adventu à nobis flagitabit, quàm fidem revelatam ac verbo suo habendam, quæ ô ad quàm paucos redacta jam est, & vilescet magis, alijs ad atheismum nequiter prolapsis, alijs ad proximum parietem sedentibus & eò tandem prolapsuris. Neq; profligatissimis ausis deest color. Nihil præfatus Scriptor ac Naturalista (quo enim alio vocabulo à Christianis putes secernendum?) neque intra neque extra res Religionis, in veris admitti posse censet, nisi* quod attestantem habeat aliquam nostram facultatem, *quales in nobis plurimas, & tot quidem agnoscit, quot sunt rerum differentiæ, quarum sit officium,* diversum sensum ad diversa objecta, (*scil. vel* instinctum naturalem, *vel* sensum internum, *vel* externum, *vel denique* discursum) explicare; *eòque si quid pro vero venditetur, inquirendum continuò esse,* ex qua nostra facultate id probari possit. *Quæ autem secus comparata sunt, ea non perinde vera, sed vel verisimilia, vel possibilia, vel etiam, sed tum demum, si contradictionem aliquam implicent, falsa pronunciat. Quâ temerè præsumptâ hypothesi, porro indubitatum apud se habet, in Ratione sive intellectu nostro descriptas esse communes de DEO & ejus cultu ultimòque fine notitias, easque attestante instinctu naturali, universaliq; consensu gentium, nunquam non fuisse ac fore veras: Revelatione autem*

& fide

& fide huic innixâ aliquàm multa contineri, quæ non perinde vera, sed vel verisimilia, vel possibilia; aliqua etiam quæ ex implicitâ contradictione omnino sint falsa. Quamobrem non in revelatis fidei articulis, certè non in his principaliter collocandam esse Religionem, sed in naturalibus illis & communibus notitijs; neque tamen negligenda omnino aut improbanda esse, quæ procedente tempore & longâ consvetudine, sub divinarum revelationum obtentu, accessissent, sed si attestante aliquâ in nobis facultate, & judice intellectu, perinde vera fuerint, potius in lucro ponenda esse, nisi quòd (ipsa ejus verba sunt) necessaria in universum esse nequeant, quæ paucorum captui solũmodo subjiciuntur. *Dehinc in ista pergit*: Ipsius revelatæ veritatis deniq; fundamenta jaciantur, ut tandem in omnibus controversiis in id rediri possit, EX QUA FACULTATE PROBAS. *Item*: Quapropter ex sapientia universali (*scilicet notitijs communibus innixâ*) præcognita religionis sancienda sunt, ut quicquid deinde ex vero Fidei dictamine adjectum fuerit, tanquam superliminare & fastigiatum aliquid, substructione ista (*notitiarum communium*) fulciatur. *Ita ille quidem libr.* de veritate *p.* 267. 282. *Antequam verò explicatis alis metam versus propiùs feratur, suam à carceribus accersit philosophandi accuratiorem quam jactat methodum, in his imis diutulè subsistens, & inter alia scholis exprobrans, quos ipsis impingit, errores circa religionem, quos ex eo velut fonte manare, quasi datus à Numine Judex, decernit, quòd disputantes pro veritate Christiana religionis, quid sit veritas, nesciant, se uno magistro jam primum edocendi. Cujus (at quantæ) ignorantiæ ut reas scholas peragat, prolixam & operosam commentationem* de veritate *ingreditur, in qua primo paginarum obtutu mirari possis scriptoris subtilitatem, sed singulis acriùs inspectis pensitatisq;, aliqua falsa,*

reliquâ nihil magnoperè à scholis discordantia deprehendas, nisi quòd novitate vocum ac terminorum pleraq; involvit atq; incrustat, ut ob id aliud dixisse minus curioso oculo videri possit. Mihi quoque initiò visus est pra scholis sapere, & aliqua accuratius persequi: sed immorando inquirendóque propius, detexi larvam, & omnis concidit accuratio. Neque ex illo tempore dignum lectu librum æstimavi. Non planè nullum tamen à Viri cœptis periculum nobis imminere, cum totâ hac præfatione præsagivimus, tùm vel experientia nos edocet: quandoquidem viris etiam elegantibus & pietate juxta ac prudentiâ spectatissimis scrupulos injecere. Quamobrem bene de Ecclesia scholisque meriti sunt Theologi quidam celeberrimi, Amici mei optimi, quòd tam insidiosis impostoris novitatibus quàm personatis ejus subtilitatibus erudita scripta opposuerunt, quibus nihil nisi calculum meum addo lubens. Quæ a. illi quidem brevitatis causâ & pro instituti ratione reliquerunt intacta, præsertim de novâ quam scriptor jactat philosophandi methodo, tùm de ipsis quinq; notitiarum communium capitibus, quibus sufficientiam religionis arctat: ea verò ut examine & librâ perinde dignarer expendereмqùe, auctores mihi fuere viri gravissimi, & meritò suspiciendi, quorum non obsecundare votis, alienum à mea erat modestia. Quanquam si hac mea ad aliorum accurationem non accedant, eò magis veniam merebor, quò plures tùm occupationes tum valetudinis molestia hisce meis meditationibus, nec semel atque iterum, sed quotidiè intercesserunt. Sin verò nihilominus saltem aliquà, BeneVoleLector, nostra quoque se tibi approbabunt: ijs benè utere, & vale, nobisque fave.

THESIS

THESIS I.

ATque ut à novâ Auctoris philosophiâ ordiar, primùm & ante omnia jactat accuratiorem nescio quam veritatis definitionem, omnibus retrò seculis ac Gentibus neglectam, hujusque ab ignorantia, quam passim Scholis exprobrat, omnes profluxisse errores non dubitat asserere, qui hinc inde vel in Religionem vel in Philosophiam irrepserunt. Veremur autem ne dum nos ignorantiæ accusat, ipse ἀπαιδευσία graviter hallucinetur. Decantatissimum in Scholis Peripateticorum est, veritatem esse *conformitatem intellectûs cum re*, neque aliam Aristotelis arbitramur esse sententiam, *veritatem non in rebus esse* pronunciantis, sed ἐν Διανοίᾳ, quod interpretes in *mente* reddunt, libr. VI. Met. t. 8. In qua definitione si quid aliud, hoc maximè desiderat Novator, quòd ex eâ nemini suboleat, quibus legibus & conditionibus intellectus & res conformentur. *Videat lector*, inquit, *an ex illis definitionibus, quibus veritas sive adæquatio, sive congruentia, sive conformitas, sive rei & intellectus, sive intellectûs & rei statuitur, deprehendere valeat, quibus legibus res & intellectus, sive intellectus & res, vel adæquentur, vel congruant, vel conformentur.* Non negat, veritatem esse conformitatem facultatis cognoscentis cum objecto, sed de legibus & conditionibus taceri conqueritur, ad quas exigi debeat conformitas. Quamobrem *tria in omni veritate spectanda venire* ait p. 16. *Quod conformatur, sive objectum; quod conformat, sive facultas; & media, leges sive conditiones conformitatis.* Cæterum veritatem & ejus cognitionẽ cognoscendive modum oppidò quàm ἀπαιδεύτως confundit. Non negant Scholæ, veritatis Cognitionem esse alligatam ad certas leges & conditiones, ideoque ne cognitione nostrâ fallamur, ante omnia

mnia inquirendum esse, an facultas cognoscens cum objecto suo sit secundum leges & conditiones necessarias rite debiteque conformata. Ad τὸ εἶναι autem veritatis, quid reflexa illa cognitio, quid leges cognitioni dicatæ faciunt? quandoquidem priùs unumquodque verum est, quàm ejus ad leges & conditiones exigatur veritas: imò verum aliquid fuerit, licet verum esse ignoretur, deficiente aliquâ cognitioni necessariâ lege vel conditione. Quamobrem secernatur veritas à veri cognitione cognoscendivé modo, & sua utrique definitio subjiciatur: sit veritas *conformitas facultatis cognoscentis cum objecto*: doceant te leges & conditiones, an facultas cognoscens cum objecto sit ritè conformata. Vix ita dissentiunt Scholæ à Censore, nisi quòd separant doctè, quæ ille indoctè, ut coquus diversa jura, confundit.

§. 2. Cum verò præter intellectum sint plures hominis facultates, ad cognoscendum quid natæ factæ, diversus quàm longissimè à Scholis abit Novator, non dicam, quod innummeras hujusmodi facultates fingit, quod ejus paradoxon infrà memorandum; sed quòd *cujuslibet facultatis cum objecto suo legitimam conformationem* vult esse veritatem: Cum Scholæ veritatem præcisè ad *intellectum* restringant, nec nisi in secundâ ejus operatione collocent, quâ conceptus simplices componuntur & dividuntur; cui oratio affirmans vel negans respondet; magistro Stagiritâ libr. περὶ ἑρμ. Cap. I. lib. VI. Met. t. 8. l. IX. Cap. XII. l. VI. de anim. Cap. VI. t. 21. Non diffitentur quidem Scholæ, intellectum primâ suâ operatione sive simplici conceptu, & sensus qualibet rectâ sensatione cum objectis suis conformari, neque hujusmodi conformitatem dici veritatem vetant, saltem per analogiam quandam, & impro-

propriè: quo pacto Aristoteles *visionem proprii objecti veram* vocat, ob sui cum illo conformitatem libr. III. de anim. l. 426. Verùm in hac conformitate tam sitam esse veritatem, quàm in legitimâ & rite conformatâ compositione & divisione intellectûs, absonum est: Certè dissimilimæ sunt rationis: si ergo legitima & rite conformata compositio vel divisio intellectûs est propriè dicta veritas, uti omnino est; altera conformitas non sit necessum est, quæ citra compositionem & divisionem intellectûs datur, cujuscunque sit facultatis, & quomodocunque legibus & conditionibus postulatis congruat: quia cujusque rei una tantùm est formalis ratio.

§. 3. Sed & quod veritatem dicit esse, *conformitatem facultatis cum objecto*, hoc non intellectum vult de veritate simpliciter & in suâ latitudine, sed de ea certô modô acceptâ. Plures enim veritatis acceptiones agnoscit, sed subordinatas, sive quarum una ab altera dependet, alteramq; præsupponit, & ex quarum conformatione una perfecta & consummata veritas consurgit. Nempe veritatem quadripartitò distinguit in eam, quæ est *rei*, *apparentiæ*, *conceptûs*, & *intellectûs*. Omnia distinctionis membra quasi uno conceptu complexus ait: *Est igitur omnis veritas nostra, conformitas.* l. de Ver. p. 16. sed adeò diversa subest ratio, ut vix quicquam illis præter nomen commune esse putes. Veritatem rei interpretatur *inhærentem illam conformitatem rei cum seipsâ* (at quomodo cum seipsâ? conformitatem esse relationem ipse fatetur, sed ejusdem ad seipsum non datur relatio) *sive illam rationem, ex qua res unaquæque sibi constat.* Alibi nihil aliud esse dicit, quàm *rei existentiam veram*, per quam res à *non re*, *ficto* & *falso* distinguatur, & respondere eam quæstioni, *an res sit*, uti exponit l. de

error. caus. p. 3. Cæterùm haud obscurè subinnuit, posse existentiã rei considerari dupliciter; tùm in ordine *ad seipsam*, quomodo quælibet res in se est vera res, sive est id quod est, nobis etiam insciis & invitis; tùm *respectu nostri*, sive in ordine ad nostram cognitionem, puta quatenus ita res existit, ut possit afficere aliquam in nobis facultatem, & cum eâ conformari; quâ notione Auctor *objectum verum* appellat, & ad ejus veritatem quatuor requirit conditiones; primùm *ut intra nostrã stet analogiam*; dein *ut justam habeat magnitudinem*; tum *ut differentiâ sit signatum*; denique *ut sit alicui facultati cognatum*. Sufficere poterat, si dixisset, requiri ad verum objectum, ut facultates nostras non excedat. Quo unô positô, reliquæ conditiones vel otiosæ sunt, vel includuntur.

§. 4. Datâ jam veritate rei (puta quòd res, quæ obversatur, non tantùm in se sit vera res, sed etiam respectu nostri verum objectum) præsupponit Auctor, ex re emanare *speciem*, quasi *formam ejus vicariam*, quam *apparentiam* rei appellat; jamque jubet inquiri, an inter rem & apparentiam ejus sit confirmitas, sive an quod res est, idem esse appareat: quod tùm quidem ex ipsius mente fieri necessum est, cum ex re emanat *vera ejus species, ac forma vicaria*. Ut verò ita species cum re sive objecto conformetur, flagitat quatuor conditiones, scilicet *debitam objecti moram*, *debitum medium transitionis*, (i. e. per quod species sive apparentia à re ad facultates transeat) *debitam distantiam*, & denique *commodum situm*. Qua de causa veritatem apparentiæ, *ejus cum re conditionalem conformitatem* describit, de V. p. 16. Sed & datâ verâ rei apparentiâ sive specie, cum facultates rem *concipiunt* (sive ut nos loqueremur, *percipiunt*) porro jubet attendi, an ille facultatum *conceptus* (sive illa rei

perce-

perceptio) sit conformis cum re secundum apparentiam, h. e. an sicut apparentia cum re, ita vicissim conceptus cum apparentiâ congruat. Hujusmodi autem conformationem conceptûs cumprimis considerandam exhibet in *facultatibus corporeis & prodromis*, quas vocat, ut illis præcurrentibus, ultima & consummata veritas intellectui reservetur. Sed & hîc ex parte facultatum quatuor conditiones exigit; primùm *ut organum sit integrum*; dein *ut nullâ pravâ qualitate sit imbutum*; tum *ut non vacillet facultas, quæ se sentire sentit*; denique ut non confundantur facultates, sed *ubique facultas analoga applicetur*. Quamobrem veritatem conceptûs definit *conditionalem conformitatem inter facultates nostras prodromas & res secundum apparentias suas*.

§. 5. Ultimum locum concedit *veritati intellectûs*, tanquam quæ reliquarum sit complementum, & ultima perfectio, eòque *veritatum veritatem* laudat; quanquam non satis distinctè ubique eam exponit. In genere quidem & illam, *intellectûs cum objecto conformitatem*, dicat oportet, si omnis veritas, quod ait, est conformitas. Ratione objecti verò nunc in *notitijs communibus* constituit, nunc in *prædictarum veritatum conformatione*: fortè quia prædictæ, & reliquæ omnes veritates, ad notitias communes, tanquam ad veritates primas, reducuntur. *Veritas intellectûs*, inquit, *est conformitas illa debita inter conformitates prædictas* p. 16. sed tamẽ posteà ait p. 35. & 37. *Veritates intellectûs sunt notitiæ quædam communes* &c. Ad prædictas autẽ veritates apparentiæ & conceptûs inter se conformandas pertinet, quod subjicit: *Harum adminiculo igitur* (*neque aliter*) *de notis æquè ac novis rerum speciminibus ita statuit intellectus, ut an veri exploratores fuerint Facultates nostræ præcones & prodromæ, solus dignoscere valeat. Neque tamen hoc sistit in-*

tellectus: sed intus susceptas rerum notiones sub conditionibus debitis inter se contexens, illas deinceps tanquam bonas & conformes, vel tanquam malas & difformes in foro interiore exhibet. Quamobrem si à notitiis communibus discesseris, veritas intellectûs est *comparatum ejus judicium*, quo prædictas veritates secundum habitudinem, quâ ad se invicem referuntur, expendit, utrum scilicet sibi ubique respondeant, h. e. an sicut res respectu nostri est verum objectum, ita apparentia cum re, & vicissim conceptus cum apparentiâ congruat; siquè hæc omnia sibi responderint, sub debitâ conformatione exhibet & probat; sin verò apparentia à re, aut ab illâ conceptus discrepet, secundum postulatas leges & conditiones errorem castigat. Qua quidem in re intellectum falli non posse, sæpius Auctor meminit. *Nunquam interea*, inquit, *fallitur intellectus, præmissa si sint debita; indebita tamen ut fuerint, ad conditiones, unde objecta cum facultatibus conformantur, regrediens errorem castigat.* p. 37.

§. 6. Tot veritatis acceptiones licet taceant, imò ignorent Scholæ: si quid tamen illis subest veri, sub aliis quàm veritatum nominibus perinde inculcârunt. Non negant, neque tacent, oportere primam in qualibet re quæstionem esse, *an res sit*; sed cur existentiam rei, ejus *veritatem* dicant, causam non habent. Aut enim res præcisè consideratur ratione existentiæ suæ, aut habito simul respectu ad nostram cognitionem: si ratione existentiæ; nulla ejus ad se est conformitas, neque ergo veritas: sin verò habito simul respectu ad nostram cognitionem; jam denomiatur *vera res*, & ut Auctor loquitur, est *verum objectum*, non tam ab existentia, quæ præsupponitur, quàm à verâ cognitione intellectûs, puta quatenus per eum potest cognosci, sicuti est: quô pacto veritatem à veritate intellectûs

lectûs distinctam non importat. Neque negant Scholæ, objecta sensilia per debitum medium à se diffundere *species* in sensoria; sed earum specierum cum objectis conformationem, quare comprehendant sub veritate, appellentque *veritatem apparentiæ*, causam nesciunt, præsertim cum species tantùm virtualiter objecta sua repræsentent. Neq; negant, *facultates prodromas* (sensus) prius *concipere* aut percipere objecta, quàm per intellectum cognoscuntur, atque in ipsis *conceptibus* præcurrentibus quandam facultatum cum objectis conformationem dari, quin & hanc κατ' ἀναλογίαν *veritatem* dici posse: saltem eam veritatis rationem neque audent neque possunt tribuere, quæ in verâ compositione vel divisione intellectûs collocata, & una propriè dicta veritas est.

§. 7. Neque meritò vapulant Scholæ, tanquam *leges & conditiones*, ex quibus facultates cum objectis conformantur, neglexerint. In veritatis definitionem cur inferrent, causam nesciverunt, imò vapularent meritò, si intulissent: quia veritatem, illam scilicet propriè dictam, quæ est intellectûs, non constituunt, sed cognitionem ejus tantùm juvant, nec nisi remotè, dum facultatum prodromarum cum objectis conformationem dirigunt. Neglectas autem eas Scholis nostris esse penitus, admodùm rudis philosophiæ peripateticæ sit, qui ausit affirmare. Ad scientiam rerum naturalium pertinet istud argumentum, & quidem ad tractationem de animâ, eaque sensitivâ: ubi cum de sensibus & eorum sensoriis agunt Scholæ, nonne disertè leges simul & conditiones inculcant, ex quibus sensus cum objectis conformantur? Nonne ut objectum διαθητὸν veram sui speciem, sive apparentiam, quam Auctor dixit, à se diffundat, requirunt ipsius *debitam moram*, *medium*, *di-*

stantiam, & commodum situm? Nonne ut objectum per *facultates prodromas*, sensusque externos ritè concipiatur sive percipiatur, perinde flagitant *organum integrum, nullâ pravâ qualitate imbutum*, applicatamque *analogam facultatem*, nec languentem, vel aliud agentem, sed satis *intentam*? Iniqua ergo Censoris invectiva est, scribentis: *Neque igitur hoc in argumento omnes moramur auctores, qui neque objecta propria facultatum, neque leges unde conformantur, neque denique ullam veritatis definitionem in doctrinis suis præmisere.* libr. de V. p. 165.

§. 8. Maximè autem Scholis id exprobrat Censor, quòd corpori non plures, quàm *quinque sensus*, neque menti plures ac diversas facultates vindicant. De sensibus corporeis scribit: *Nunquam satis intereà mirari subit, Scholas plures quinque sensibus non statuisse. Ridiculum diximus, non dari nisi quinque sensus: tot sunt sensuum, quot sunt objectorum differentia: probatur ex ipso sensu, quem quia negligunt, suis in demonstrationibus auctores passim ineptiunt.* de Ver. p. 164. Et paulò post: *Quid opus est pluribus? tot dari sensus, quot sunt objectorum differentiæ, ipse sensus testis in objectis suis supremus docet.* p. 165. Item: *Videant, annon innumeras animi dotes eas in angustias cogant, ut quinq; sensibus suis non nisi quinq; objecta tribuentes, multigenas illas in vocabulariis traditas dictiones penitus exauctorent, & tanquam nullo indicio fultas expungant. Certè utcunque cavillentur Sophistæ, eveniet, ut nisi ad differentiarum numerum facultatum calculus subducendus sit, tota ferè accidentibus quinque concludatur scientia humana; & perituris qualitatibus rerum vindicabitur fides.* Quanquam hoc paradoxon ex Scholarum placitis non sequitur: nam quæ sensibus externis sunt impervia, ea quantumcunq; diversa per unam mentem tàm percipi statuunt, quàm si plu-

plures & diversissimæ facultates in mente quoque inessent: tantum abest, ut scientiam humanã quinq; sensibus concludant. Negat interim Censor, per unam mentem adeò diversa cognosci posse, nisi diversæ in ea sint facultates. *Si diversitatẽ tamen*, inquit, *facultatum intellectûs adimis, operationes animæ haud satis distinguis. Quemadmodũ enim eadẽ vox prorenata diversos edit & alternat sonos, vel idem brachium diversos tendit nervos: ita quidem eadem mens juxta objectorum varietatem, varias om. inò explicat, & quidem complicat facultates.* p. 99. Ex qua hypothesi paulò ante dixerat: *Nullum attributum Divinum suâ facultate analogâ destituitur. Alia g. facultas DEO tanquam causæ, alia DEO tanquam fini, alia Deo tanquam medio rerum competit; alia DEO bono, alia DEO sapienti, alia DEO justo, alia DEO æterno, alia DEO beato respondet.*

§. 9. Verùm enimvero Scholæ nostræ non ita prorsus quinque sensibus *externis* contentæ sunt, quin iis aliquos quoque *internos* addant, quanquam non tot sensus internos quot auctor numerant, neque eodem modo accipiunt & partiuntur. Cur autem facultates mentis multiplicent, causam sat gravem non habent. Ea quidem mentis ex se indifferentia est, ut nisi â diversis principiis ad diversa objecta determinetur, sileat. Veruntamen quænam sint determinantia illa principia, quæsito opus est. Nostræ Scholæ *species* esse docent objectorum vicarias, quas mens facultatum prodromarum adminiculo acquirit, & sibi semel impressas servat. Quas si Censor sub numero & distinctione *facultatum mentis* intelligeret, nos non repugnantes haberet: sunt enim reverà quædam *mentis facultates*, & tot quidem numero, quot objectorum differentiæ, iisque non benè cum objecto conformatis, non datur veritas: quandoquidem à mente cognitio secundum

se &

se & simpliciter procedit, sed quatenus hujus vel illius objecti cognitio est, à dictis speciebus, velut à facultatibus conformatis dependet. At enim passim subinnuit Censor, se alias & ab *ipsâ naturâ in mente descriptas* facultates intelligere, eoque plus simplici vice perstringit Scholas, quòd intellectum ab ortu esse *tabulam rasam*, ajunt. *Apage igitur istos*, inquit, *qui mentem nostram, tabulam rasam, sive abrasam esse prædicant, quasi ab objectis haberemus, ut in illa denuò agere possemus. p. 68.* Quanquam si *tabula rasa* dicatur, in qua erasa sunt, quæ anteà erant inscripta, Scholæ mentem nostram non tàm rasam, quam *vacuam* esse tabulam volunt, sive *in qua nihil est inscriptum*, inscribi autem quidvis potest, ut est apud Aristotelem l. III. de anim. Cap. IV. t. 14. Tametsi verò de origine facultatum inter Scholas & Censorem magna est dissensio, dum hic facultates connatas, illæ species ab objectis per sensus externos invectas intelligunt: in effectu tamen res ferè eodem recidit. Utrarumque enim est officium, indifferentiam mentis tollere, & eam ad diversa objecta cognoscenda determinare: neque ad hunc usum refert, connatæ facultates sint, an acquisitæ, quæ illum quidem præstant. Ut verò mens, postquam ex scholarum sententia per species ad certa objecta est determinata, *in illa denuò agere*, (i. e. illa cognoscere) *possit*; næ id non *ab objectis habet*, quod Scholæ falsò perhibentur docere, sed *ex se ipsâ*; quippe cum per essentiam sit cognoscendi facultas.

§. 10. Sed & vocem *sensûs* Novator paulò aliter capit, quàm Scholæ. Hæ ea voce intelligunt *sentiendi facultatem*, veluti visum, auditum, tactum: Ille verò vult sensum oriri ex facultatum cum objectis conformatione, & tùm quidem maximè, cùm facultates in objecta agunt, aut vice ver-

versâ; ideoque cessante isthac actione, non supereſſe *sensum*: eâ autem datâ, tot esse *sensuum*, *quot sunt objectorum differentiæ*, ut ait p. 164. Aliàs de origine & quidditate sensûs scribit p. 93. *Supereſt sensus, sive conformationis actus. Nisi enim sit, quod conformet, nisi etiam sit quod conformetur, nulla sit sensatio. Neq; enim voluit providentia divina universalis, aliquam in nobis sine sensu fieri innovationem. Quod igitur sentis, neque est facultas (sive vis interna seſe explicans) nequè objectum; sed actionum resultantia quædam, ex colliſione & concursu mutuo oriunda. Actione enim cessante (quacunque ex parte fiat) ipse cessat sensus.* Quanquam in progressu tractationis, cùm modò ex certâ *facultate*, modò ex *sensu* probationes fieri oportere ait, voces illas promiscuè capit, quia in actu conformationis semper *facultas* & *sensus* complicantur.

§. 11. Atque ita hactenus Auctor fundamenta jecit, non quidem ad novam veritatis definitionem, quam sibi habuit propositam, sed ad stabiliendam methodum, qua pervestigari veritas cognoscique possit: huc enim spectant, tùm quæ de numero & distinctione facultatum, tùm quæ de legibus conformandi eas cum objectis passim inculcat. *Totum igitur*, inquit, *in hoc situm negotium est* (sc. cognoscendæ veritatis) *ut numerum & ordinem facultatum, leges denig; ex quibus conformãtur cum objectis cognatis sive propriis sive communibus adsequaris. Neq; enim verum aliquod, veritate nimirum intellectûs, esse potest, quod facultatem aliquam atteſtantem non asserit, verum licet ex veritate rei existat. Hoc igitur tanquam doctrinæ nostræ fundamentum jacimus.* Adverte ex superioribus, dici *verum veritate intellectûs*, quod intellectus regrediens ad leges & conditiones certò verum esse judicat ac pernovit. Quomodo autem id, quod verum

est ex *veritate rei*, fiat simul verum *veritate intellectûs*, i. e. verum esse à nobis certò cognoscatur; hoc sibi argumentum, hunc scopum ait esse propositum. Quorsum ergo suprà definitionem veritatis, quasi aliam meliorem substituturus, perstrinxit, nisi quòd veritatem ab ejus cognitione cognoscendive modo non distinxit? Itaque συμπέρασμα dictorum est: *nihil tanquam verum probari & admitti posse, quod non attestantem habeat aliquam in nobis facultatem:* Ideoque si quid pro vero venditetur, continuò inquirendum esse, *an & ex qua facultate id probari possit:* Negatâ hujusmodi omni probatione, mittendum esse, & verisimilibus aut possibilibus, vel si contradictionem implicet, falsis adscribendum: neq; enim *ultra facultates nos sapere.* Talia ferè nullâ non paginâ Auctor inculcat, ut supervacaneum sit ulla ejus verba adscribere: nisi quòd aliquando eâdem sententiâ probationes à *testimonio sensûs* accersit.

§. 12. Ut autem probationes ex *attestante facultate* vel *sensu* rectè & ordine instituantur, in distribuendis discernendisque facultatibus & sensibus immane quantum laborem impendit. Sensum quidem, quem aitoriri cum facultates agunt in objecta, vel vice versâ, ad quatuor genera reducit. *Est igitur*, inquit, *sive facultates agant in objecta, vel vice versâ, omnis sensus vel instinctus naturalis, vel sensus internus, vel sensus externus, vel discursus* p. 46, 47. Totidem quoque esse facultatum genera, cum ex Viri hypothesibus consequitur, tùm ipse paulò antè expressis his verbis affirmaverat: *Cum igitur homo (animal numerosa structura) variis & miris facultatibus & externis & internis ornetur, earum distributionem satis difficilem comperimus: ad istam tamen quadruplicem* (sensûs) *divisionē omnis ex facultatibus desumenda probatio reduci potest.* Quanquam vel à seipso dissentit,

vel

vel in voce ludit, quòd hîc facultates dividit in *externas & internas*, & suprà universè facultatem *vim internam animæ* definiverat: vide in frontispicio Elenchum verborum, & p. 38. Usum quadripartitæ hujus distributionis sensuum & iis respondentium facultatum explicaturus subjicit: *De quibus magnum istud proferimus; Quod neque per instinctum naturalem, sensum internum, sensum externum, neque discursum innotescit, tanquam verum propriè dictum* (puta quod intellectus noster certò verum esse nôrit) *nullo pacto probari potest.*

§. 13. Singula sensûs genera prolixiùs interpretatur, quàm necessum erat, sed nihilo clariùs. Ad *instinctum naturalem*, quem ineptè ita appellat, reducit *notitias communes*, de quibus inter Scholas & ipsum convenit, quòd *in omni homine sano & integro per se ac sine discursu deprehendantur.* Proprietates quoque, quas p. 76, 77. recenset, admittunt Scholæ, nimirum quòd *sint priores discursu, imò primæ veritates, eòque ab alia notitia non dependeant, tum quòd universales, certissimæ, absolutè necessariæ, denique nulla interpositâ morâ in nobis existant, modò vel rerum vel verborum sensum adsequaris.* Sæpissimè autem ingeminat, quòd sint *principia sacrosancta, contra quæ disputare sit nefas* p. 60. Verùm in eò maximè dissentit à Scholis, quòd *summam veritatis normam consensum universalem* constituit. p. 49. Et paulò post miseratus eorum vicem, quibus non hodiè rationibus suadeatur fides, sed terroribus extorqueatur, subjicit: *Non est, quò fugiat misera consternatorum turba, nisi immota quædam veritatis fundamenta ex consensu universali jaciantur, quæ in dubio quocunque sive Theologico sive Philosophico consuli possint.* Item: *Ex mente igitur nostrâ Consensus universalis & prima & summa Theologia & Philosophia habendus est.* p. 60.

§. 14. Quæ quomodò cum superioribus conciliari possint, non equidem video. Initiò putabam, auctorem per *consensum universalem* idem intelligere, quod per *notitias communes*, adeoque cum consensum universalem pro *summâ veritatis normâ* venditat, nihil aliud velle, quàm notitias communes ejus normam esse: at hæc duo plurimùm differre, ac perperàm confundi, res ipsa loquitur. Etenim *consensus universalis* nec datur nec concipi potest, nisi datis & conceptis pluribus & omnibus qui existunt hominibus, quatenus in idem quid consentiunt: at *notitiæ communes*, fatente ipso auctore, in *quolibet homine sano & integro deprehenduntur*, sine ullo respectu ad consensum aliorum. Imò si unus tantùm homo esset in rerum naturâ, sicut unus aliquando fuit; darentur in ipso notitiæ communes; sed abesset consensus universalis, non datis pluribus, qui consentire possent. Quamobrem ipse etiam auctor sæpe de iis ut de distinctis loquitur. Quod si verò consensus universalis est summa veritatis norma, quoque notitiarum communium norma sit necessum est; à qua sententia non abludit Auctor, cùm hortatur lectorem, *ut ex consensu universali communia illa principia, quorum numerus est definitus, imò exiguus, seligat* p. 62. At multa huic opinioni obstant. Primùm ἀσύστατα sunt, *notitias communes esse primas veritates*, quod auctor passim fatetur, & tamen *earum normam esse consensum universalem*: Item à *seipsis unicè fidem obtinere* (quod ait p. 195.) & tamen forinsecus *ex consensu universali* stabiliri. Deinde *Consensus universalis* non potest esse norma notitiarum communium, nisi ex *hypothesi*, sive suppositione plurium hominum, qui consentiant: at *notitiæ communes* in uno etiam homine deprehenduntur, negatis pluribus, qui consentire possint.

Præ-

Prætereà si notitiæ communes ex consensu universali stabiliendæ sunt, jam *per discursum* probantur, oportetque redeat probatio ad istud principium: *In quamcunque notitiam consentiunt omnes homines sani & integri, ea est communis notitia*: at notitias communes *per se* & *sine discursu* in nobis dari, ipse Auctor præsumsit. Tum quoque falsum est modò allatum principium. Nam *consensus universalis* potest oriri ex continuâ & nunquam interruptâ *traditione* primorum parentum & majorum, aut etiam *ex discursu* prono & omnibus obvio: at notitiæ communes non sunt, quæ non *ex seipsis* in nobis consurgunt, sed vel ex traditione vel ex discursu insunt. Itaque à consensu universali ad notitias communes non valet consequentia. Denique nec omnes illæ notitiæ, quas auctor pro *communibus* venditat, præsertim in religionis negotio, *consensu universali* comprobatæ sunt, quod infrà ostendemus. Aut igitur non erunt omnes notitiæ communes; aut aliquæ dabuntur notitiæ communes, sine consensu universali; quorum utrumque Auctori adversatur.

§. 15. Proximum ab instinctu naturali locum defert *sensui interno*. Vocem si spectes, ex auctoris sententia instinctus naturalis quoque est sensus; non autem externus; ergo internus sit necessum est: siquidem inter illa duo non datur medium. Ex defectu autem vocabulorum *sensum internum* specialiter vocat, qui post instinctum naturalem in nobis *circa idem objectum*, & *ex eadem radice* excitatur, sed ad *notitias particulares*, sicut naturalis instinctus ad *universales sive communes*, terminatur. De ordine & objecto scribit p. 85. *Post instinctum igitur naturalem, sive sapientiam illam æternam in nobis descriptam, Sensus internus primum vendicat locum, ut qui sit maximè ejus affinis, & circa idem objectum*

novissimè versetur. De communi eorum radice ibidem ita: *Observatu interea dignum est, identitatem quandam radicis cum instinctu naturali obtinere, etiamsi ex differentiis suprà allatis satis dispertiantur.* Denique de discrimine notitiarum subjicit: *Post communes igitur notitias, sive doctrinam instinctûs naturalis, in homine gradatim & successivè sese ad objecta explicantes, particulares quædam notitiæ & sensus suboriuntur, à suis facultatibus particularibus conformatæ. Qua igitur ratione omni homini insunt sensus interni, sub definitione vagâ instinctûs naturalis cadunt: nam amare, sperare, conscire &c. nulli non convenit: eâ tamen acceptione, quâ ad particularia terminantur objecta, particulares vocantur. Qui enim hoc vel illud amat, sperat, conscit, ex affectu suo determinatur ad particulare aliquid; & se hoc vel illud amare, sperare, conscire sentit. Particulares intereà sensus sub universalibus militant, ubi debita facultatum conformatio instituitur.* Quibus verbis uti notitias, ita & sensus Auctor in *universales & particulares* dividit; utque illis *instinctum naturalem*, sic his *sensum internum* circumscribit.

§. 16 In distinguendis facultatibus, ex quarum conformatione oriuntur *instinctus naturales & sensus interni*, quò laboriosius desudat, eò minùs proficit. In universum facultates dividit in *corporeas*, & *noëticas*, sive quæ in mente insunt; Cumque inter objectum & facultates debeat esse proportio sive analogia, *Deoque noëticæ, mundo corporeæ facultates sint analogæ*, uti ipse docet p. 96. hinc *corporeas* quidem facultates censet versari *circa bona particularia & caduca*, sive ad corpus præcisè spectent, sive & animam juvent & corpus; *noëticas* verò circa bona æterna & universalia, videlicet scilicet *circa DEUM* & ejus *attributa*, tùm circa *æternam beatitudinem*, ad quam

ex

ex ratione propriè conservationis omnia referant; sed ita tamen, ut quoque ad *corporearum* facultatum objecta se demittant, sensusque in iis ab objectis horumve speciebus aut etiam âb humoribus excitatos compescant, idque vicissim æternæ beatitudinis causâ. Quamobrem noeticis facultatibus duplex objectum vindicat, *proprium* id appellitans, cui maximè analogæ sunt, quod est Deus & ejus attributa æternaque beatitudo; & *commune*, quod quoque corporearum facultatum objectum est. Lubet ea de re ipsa ejus verba adscribere. *Facultates noeticæ & divinæ*, inquit, *objecta habent duplici in differentiâ constituta, PROPRIA scilicet & COMMUNIA, qua ratione à corporeis (quæ propriis objectis solummodo gaudere videntur) satis distinguuntur. Propria objecta facultatum internarum noeticarum sunt attributa divina* (sed & *æternam beatitudinem* esse suprà dixerat p. 85.) *communia objecta sunt objecta facultatum corporearum. Corporea enim principia permeant, informant & illustrant facultates noeticas divinæ. Cum autem tot dari facultates, quot sunt attributa divina, & vice versa, suprà demonstratum sit: quædam Facultates bonitati Divinæ, quædam sapientiæ Divinæ, quædam justitiæ Divinæ, quædam providentiæ communi sive Naturæ, quædam providentiæ particulari sive gratiæ respondebunt.* Huic ab objectis petito discrimini addit alterum à qualitate sensûs ductũ, videlicet quòd facultates NOETICÆ *inducant sensum serenũ & beatum, & in quo solo acquiescant*, veluti spem, fiduciam, amorem, gaudium (à quibus, ut vocat, sensibus ipsas facultates describens, eas vocat, *quæ sperant, fidunt, confidunt, serenant, gaudent*) CORPOREÆ autem facultates *sensum crassum & turbidum invehant, & ultra sympathias & anthipathias suas non ferantur.* p. 96. 97.

§. 17. Ex qua facultatum bipartitâ distinctione Auctor

Auctor porrò deducit, & fusiùs interpretatur, quod modò tactum est, discrimen instinctûs naturalis & sensûs interni. Instinctui naturali *solas facultates noeticas* vendicat, quatenus sub ratione propriæ conservationis primò quidem *æternam beatitudinem* (ut objectum *proprium*) consectantur, tùm verò & in ea, quæ aliarum facultatum sunt (ut ad objecta *communia*) se intendunt. p. 81, 82, 83. Sensui autem interno tum *noeticas reliquas*, quatenus cum DEO & artributis ejus conformantur, & simul in sensus corporeos agunt; tùm facultates *corporeas internas* adjudicat. Itaque sub *sensu interno* comprehendit, unâ quidem ex parte, *sensus serenos & pacatos*, qui neque ab objectis, neque ab horum speciebus, neque ab humoribus, sed à facultatibus noeticis modò dictis oriuntur, quatenus quidem *particulares* sunt; ex parte altera *sensus crassos & turbidos*, intra tamen corpus *sive ab objectis, sive ab objectorum speciebus, sive ab humoribus invectos.* Ex quibus nullâ difficultate intelligitur, quid *sensus externus* ab interno & instinctu naturali differat. Nempe eâ voce designat Auctor ipsos *quinque sensus externos, quatenus tamen primò & proximè à sensu aliquo interno immutato, remotè ab instinctu naturali ad particulares notitias analogiæ rerum extimæ explicantur.* Hæc quasi in compendio proposita suggerunt nobis singulorum definitiones, & harum prolixæ explicationes. p. 95. & seqq. 109. & seqq. 162. & seqq.

§. 18. Sub sensu interno comprehendit quoque *libertatem arbitrij & conscientiam*, quarum diversissima est ratio. Libertatem arbitrii describit *facultatem, ex qua se undequaque flectere potest anima.* Proprietates ejus quasi has recenset: *primùm* quòd omnes facultates animæ permeat & informat; *deinde* quòd infinitatis quandam rationem in se

in se habeat, ad imitationem infinitatis Dei, ad cujus imaginem homo est conditus; *denique* quòd non circa finem, sed circa media liberè hominem agere permittat: quæ omnia legi apud ipsum possunt p. 109. Conscientiam interpretatur *sensum communem sensuum internorum, à quâ ritè conformatâ pax illa & securitas interna pendet.* Objectum ejus constituit *bonum & malum, & varios eorum gradus, ratione dignitatis vel indignitatis cujusque habitâ.* Facultatem conscientem unam ex illis esse ait, quæ ad mentē spectant: Conformari autem cum objecto, dum *secundum notitias communes* expendit, *quid fieri debeat.* Unde ipsam quoque *conscientiam per communes notitias ritè informatam* (& conformatam) dixit. Denique inter quatuor sensûs genera medium ei locum concedit, quia *ab illa incipiunt, & in illam desinunt actiones cunctæ, ubi liberum permittitur judicium.* Quæ & plura inquirenti occurrent p. 132. & seqq.

§. 19. *Discursum* autem, dubium, quâ ratione *sensum*, & peculiarem quidem atque â cæteris distinctum dixerit, nisi cumprimis ad *Conclusionem* respexit. Non enim tam de *forma* Syllogismi loqui præsumitur, quæ in legitimâ connexione medii cum extremis consistit, & notitiæ communi innixa præsupponitur; quàm de *materia*, cujus ratione discursus plures actus sive notitias includit; duas, quas Scholæ *præmissas*, & tertiam ex illis deductam, quam *conclusionem* appellant. Nunc verò præmissæ *ante discursum* aliunde cum objectis suis conformatæ præsupponuntur; veluti *notitia communis*, quoties præmittitur, ex instinctu naturali; & quæ sub illa assumitur *notitia particularis*, ex sensu interno vel externo; eoque novum & peculiarem sensum non inducunt. Conclusio autem est nova quædam notitia, quatenus non ex alio aliquo sensu, sed ex discursu in nobis excitatur. Quamobrem non abnuo,

quin illa ex Auctoris hypothesi *novum & peculiarem sensum* inducat, quatenus cum objecto suo conformatur. At conclusio non est ipse discursus, sed hujus terminus & complementum. Quapropter dicendum potiùs erat, discursum inchoari à *præmissis* aliunde jam cum objecto conformatis; & terminari *ad conclusionem*, ut ad novum conformationis actum, ex quo *novus sensus* oriatur. Id autem omnium minimè capimus, quomodo discursus sit infimæ certitudinis, & *tanta ejus ad errorem latitudo, quanta liberi arbitrij ad malum* p. 196. Si formam Syllogisticam respicias: næ ea notitiæ communi & infallibili innititur, quæ dictat, *ea quæ conveniunt uni tertio, convenire inter se*; item *cum aliquid de altero universè prædicatur, nihil posse subsumi sub subjecto, de quo prædicatum non dicatur.* Sin materiam & maximè præmissas spectes; hæ aliunde cum objectis suis conformatæ præsupponuntur, neque adeò per discursum incertiores reddantur. Si denique conclusioni, velut tertiæ ex præmissis deductæ notitiæ attendas: næ illa quoque sub rectâ formâ Syllogisticâ præmissarum, subque necessariâ atque evidente consequentiâ, non potest esse incertior, quàm sunt præmissæ: quandoquidem idem conclusionis objectum, quod junctim duarum præmissarum est, licet sub aliâ terminorum compositione; adeoque his benè cum objecto conformatis, non potest non & illa cum eodem conformata censeri. v. g. notitia communis est; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* At *te non velle occidi*, est notitia particularis, & juxta Auctoris hypothesin ex sensu interno certa. Ex his nova ac tertia notitia concluditur: *Ergo ne alterum occidi feceris:* quæ non potest esse incertior, quàm sunt duæ præmissæ, quia ex præmissis necessariâ consequentiâ, ut effectus ex causa deducitur; & eatenus ad idem

quoque

quoque objectum, quantumvis sub alio terminorum nexu, porrigitur. Quod si autem discurrendo aberres à vero, sicut plurimos aberrare experientia docet: causa erroris non est discursus, sed quia vel debitam *formam* non habet, adeoque nihil minus est, quàm discursus; vel si eam habet, & est ritè contextus discursus, altera præmissarum ejus non est vera, dum fortè ex Auctoris hypothesi non attestantem habet aliquam in nobis facultatem. Quod si autem propterea ipse discursus exiguæ, aut sublestæ fidei haberetur, committeretur *fallacia non causæ ut causæ*, & pari ratione incerti essent habendi sensus, ut qui & ipsi falluntur, quoties non omnia conformationis media suppetunt.

§. 20. Non itaque ferendum est, quod tantoperè in discursum, quasi omnis erroris sit fons & origo, invehitur, quam invectivam suam totis paginis 194, 195, 196. continuat, & alibi passim resumit. Protestatur quidem p. 196. *sibi non esse in animo, discursum ex toto labefactare, cùm natura nihil dederit frustrà, imò quod magis est, discursum istum tanquam insignem hominis differentiam nobis impertierit.* Verùm his subjicit: *Sua igitur veritas inest discursui, sed ita tenuis & ferè umbratilis, ut quæ verè solida, & ex consensu universali sancita, ad instinctum naturalem tanquã post liminiò revocentur. Proinde eandem latitudinem discursui ad errorem obtigisse, quæ libero arbitrio ad malũ, cogita Lector. Non sine summâ cautelâ igitur discursu utendum.* Et præced. paginâ dixerat: *Maxima igitur ex discursu peccata. Quod negat, renegat, blasphemat, quod etiam fingit, supponit, imponit, discursus est.* Et p. 201. scribit: *Quod tamen discursum paulò acriùs perstrinximus, in causa est, quia nullus nisi à discursu solennis error.* Cæterùm in eo maximè peccat Censor, quòd discursui imputat errorem, qui aliunde obrepit. *Nulla*, inquit, *sine aliquâ veritate involu-*

volutâ labes: etiam in turpissimo errore quædam communis notitia subest. p. 202. At desiderat discursus quoque *unam vel plures particulares notitias*, quæ sub communi illâ assumuntur: hæ si non æquè fuerint veræ, h. e. si non ex Auctoris hypothesi attestantem habeant aliquam in nobis facultatem; hinc errorem oriri necessum est, etiam sub notitiâ communi. Quomodo autem discursui imputari potest error, cujus causa est altera præmissarum, quatenus non debitè cum objecto suo est conformata? Sit una præmissarum *notitia communis*: assumatur sub ea alia *particularis notitia*, quam *sensus* doceat: Contexatur ex his discursus, sub debitâ terminorum coordinatione: non magis poterit falli, quàm sensus, cui omnia ad debitam conformationem adsunt requisita. Ne verò planè Auctor videatur ex probandi modis excluſum ire discursum, concedit tandem ejus usum *circa ea, quæ rectiorem non patiuntur normam.* p. 196. id est, quæ neque ex instinctu naturali, neque ex sensu interno, neque externo probari possunt. At latiùs ita discursum porrigi necessum est, quàm reliquos probandi modos. Nam quæ ex instinctu naturali oriuntur notitiæ communes, fatente Auctore, paucæ sunt: & plurima quoque sensibus internis externisque sunt impervia. Quomodo ergo hæc aliter poterunt, quàm per discursum, probari?

§. 21. Quòd autem inter quatuor sensûs genera, atque adeò inter probationes quoque inde petitas gradus quosdam certitudinis constituit, eoque ne confundantur vel transponantur, caveri jubet: in eo laudandus potius est, quàm vituperandus. *In quibus igitur*, inquit, *adnotandum, quæ instinctûs naturalis sunt, primum deposcere certitudinis locum; secundum, quæ sensuum internorum; tertium, quæ sensuum externorum; quartum, quæ discursûs; & quia posterior*

sterior semper maximè conditionibus obnoxia; & quia denique ab ipsa anima sive probationis principio maximè recedit: ubi tamen posterior addita ratio saltem discursui non quadrat, ut qui eò propiùs abest ab anima rationali, vel mente, quò magis hominem à bestiis distinguit. Alibi scribit: *Sed nos, qui cunctarum facultatum terminos & metas primi (quod scimus) posuimus, nullam facultatem impunè in alienam ditionem irrumpere observamus. Ideò instinctus naturales, sive notitiæ communes à seipsis unicè fidem obtinent, & supra rationem (id est, discursum) credi postulant. Idem de facultatibus reliquis existimandum est, quæ imprimis ab inferioribus facultatibus informari dedignantur. Ideò sensui interno circa objectum suum potiùs, quàm sensui externo, & sensui externo denique potiùs, quàm discursui credendum.* p. 195, 196. Item: *Brevi in id redeat omnis Scholarum disputatio, ut constet, ex qua facultate probant, suas quas asserunt sententias. Qua in re summoperè curandum (uti sæpe monuimus) ne ex discursu probent ea, quæ sunt objecta sensuum externorum & internorum, vel vice versâ: neque denique notitiarum communium fidem convellant, sed unicuique facultati ita suos tribuant cancellos & metas, ut erroribus præcludatur via.* p. 257, 258. Quibus gemina sunt ista: *Ubi imprimis cavendum, ne quæ ex sensu sive externo sive interno probationes adferri debent, per discursum deducantur. Sunt enim in objectis suis sensus, sive externi, sive interni, testes summi.* p. 63. & seq.

§. 12. Quòd autem Censor Scholis, & Philosophis Theologisque nostris crimen confusionis quatuor probandi modorum impingit: næ in eo iniquior est Judex. *Qui objecta propria*, ait, *instinctûs naturalis, sensûs interni, externi vel discursûs transposuerit, & in alienum jus verterit, totum veritatis systema eversurum procul dubio arbitramur.*

Hoc igitur imprimis advertendum est, cùm inter auctores nullus adeò invaluerit error, ac iste. Dum enim notitias communes (sacra principia) ex discursu convellunt; dum ea quæ sunt discursûs, tanquam notitias communes haberi postulant; dum sensus externos ad ea, quæ sunt sensuum internorum, & vicibus versis, traducunt, nihil suo stare loco videtur. p. 33. Quo nomine *Ecclesias & Scholas nugivendulas* appellat, & quòd differentias probationum *non advertant, passim ineptire* ait p. 52, 64. Quæ ô quàm falsa criminatio! Parum in Scholis nostris versatus sit oportet, qui non didicit, quàm accuratè ubique inter notitias communes, sensuum probationes, & discursus distinguant. Proferat autem superbus imputator vel unicum exemplum, ubi nostri Philosophi vel Theologi sensuum probationes pro notitiis communibus, aut has pro illis venditent; nedum ubi alterutras discursu convulsum eant. Quin potiùs cum Censore suo magnoperè damnant abusum discursûs, neque nisi album ipsi calculum adjiciunt, si quæ suprà in vituperium discursûs vidimus ab ipso prolata, ad abusum restringat, quod videtur facere, cùm scribit p. 201. *Neque igitur discursum vel extenuare volumus, vel explodere, nisi ubi ultra cancellos proprios elatus, ipsum instinctum naturalem, sensum internum vel externum aggreditur*, i. e. ubi id audet convellere, quod verum esse, modò dicti testes probant. Quem discursûs abusum perstringit quoque, sed haud obscurè simul Scholis nostris imputat p. 193. *Hinc denique (ut paucis dicam) omnium notitiarum communium seriem, totum sensum, internum & externum, etiam ritè conformatum, convellere & improbare pro viribus suis audet discursus præceps; inde tot contradictiones, absurditates, deliria.* Non injuriâ hanc censuram in eos stringit, qui discursu ita abutuntur; sed immeritò in accuratiores Philoso-

loso-

losophorum & Theologorum Scholas, quæ eò stultitiæ nunquam processerunt. Veremur autem, ne ipse isthoc damnandus sit crimine, cujus Doctores nostros defert: quandoquidem pro *notitijs communibus* venditat, quæ non nisi per *discursum* probantur, quod demonstrandum suo loco reservamus; prætereàque *conscientiam* sensibus internis annumerat, quæ tamen est dictamen practicum per *discursum* ex unâ notitia communi & altera particulari illatum. Quod ne ipse quidem diffitetur Censor, cum ait: *Ideò si omne malum esse vitandum, docet notitia communis; etiam & istud vitari, hoc in foro docebitur. Quemadmodum igitur in investigatione veri & falsi per discursum rectè conformatum in vera particularia; ita per conscientiam rectè conformatam in bona particularia delabimur.* p. 135.

§. 23. Explicatis ita quatuor sensibus, ex quibus omnis petenda est veritatum probatio, pergit Auctor ad semovenda illa, quæ tanquam vera probari non possunt, cujusmodi esse dicit *verosimilia, possibilia & falsa.* Imò in descriptione libri sui de veritate addit & *revelationem*, sed eam alibi nunc ad *vera*, nunc ad *verosimilia*, vel ad aliud genus reducit, prout diversa ejus ad facultates nostras, ultra quas hîc quoque sapere vetat, est habitudo. Dum autem *veris* plura, quàm *falsa* opponit, perstringit effatum Philosophorum vetus: *Enunciationem quamcunque vel veram esse vel falsam*, sive ut apud Aristotelem effertur, ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, *verum vel falsum significare l.* περὶ ἑρμ. cap. IV. Hoc effatum *vel rejici*, inquit, *vel cum micâ salis saltem accipi oportere censeo. Ut detur enim objectum quodvis verum in seipso: quis tamen citra methodum nostram ἀκρίβειαν illam adhibuerit, ut se cunctas ordine debito displicuisse facultates, & objectum in examen ultimum ex earum ministerio perduxisse dixerit? Cum alioquin*

quin tamen nihil satis certi de objecti quidditate, qualitate &c. enunciaverit. Donec igitur accurata de objecto quovis fiat disquisitio, neque vera prorsus, neque fortasse falsa, sed verosimilis vel possibilis saltem fuerit enunciatio quæcunque. Verùm more solito ludit Auctor diversâ terminorum acceptione. Neque enim ignorat, Philosophos quibus probatur modò dictum effatum, vocare *veram* enunciationem, quæ rem significat, sicuti est; & *falsam*, quæ rem significat aliter, quàm est; sine respectu ad nostram cognitionem; h. e. sive nos sciamus, quomodo enunciatio ad rem se habeat, sive ignoremus. Ita de numero stellarum alterum verum est, *esse parem, aut esse imparem*, alterum verò falsum: licet utrum verum, utrum falsum sit, mortalium nemo sciat. Ex adverso Censor *verum* vocat unumquodque πρὸς ἡμᾶς, quatenus ego vel tu rem ita esse certò pernovimus, quomodo idem est quod certum; & *falsum*, quatenus rem non esse æquè certi sumus. Hac autem terminorum acceptione *non omnem enunciationem esse veram, vel falsam*, neque Philosophorum quisquam diffitetur, & satis id liquet in proposito exemplo, de stellarum numero; quem sive *parem* sive *imparem* esse dixeris; dum ignoramus, utrum verum vel falsum sit; neutrum verum, neutrum falsum respectu nostri fuerit. Quomodo autem hîc opponantur *verum* & *falsum*, & quid tum ab his, tum inter se differant *verosimile* & *possibile*, penitiùs inquirendum.

§. 24. Id demum *verum esse, quod attestantem habet aliquam in nobis facultatem*, passim Auctor ingeminat. Nunc verò ex ipsiq hypothesi facultatis est officium, objectum sibi conformare, & certum sensum inducere. Non itaque apparet, quomodo facultas de objecto suo attestetur, *quòd sit*, & consequenter *quòd sit verum*, nisi medio conformationis

nis actu sensuque, quem inducit: atque ita verum est, saccharum esse album, dulce & friabile, dum hoc quidem tactus simul & visus, illud gustus, istud quoque visus attestatur. Quo quasi jacto fundamento, Auctor διχοτομία quadem & vi immediatæ oppositionis à veris semovet, quæcunq; secus comparata sunt, id est, *de quibus facultates nostræ non attestantur, quòd sint.* Et ea quidem, pro suâ, in quam patent, latitudine, in tria genera digessit; *in verosimilia, possibilia*, & *falsa*; sed longè alio tetminorum significatu, quàm quo Scholæ accipiunt. *Falsum* id demum esse censet, *quod contradictionem aliquam implicat*, sicut ex elencho verborum ejus videre est; quomodo *falsum* & *impossibile* confundit, quæ Scholæ nostræ non absre, imò flagitante ipsâ naturâ, distinguunt. Etsi enim omne, quod est impossibile, falsum est: non tamen omne, quod falsum, impossibile est. Ut enim aliquid *falsum* sit, sufficit omninò, *non ita esse, sicut esse dicitur vel concipitur*, sive esse possit, sivè minùs: quomodo cum stas vel ambulas, falsum est, *te sedere*, neque tamen id contradictionem implicat, aut in iis est, quæ fieri non possunt. Nihilo latior est altera descriptio, quâ passim *falsum* id esse dicit; *quod cum communi aliqua notitiâ è diametro pugnat.* Nescimus, an forte exceptio ad prævisam nostram censuram sit, quod ait p. 257. *Neq; enim facultates, quæ res ita esse probant, res aliter esse non posse probabunt, nisi id quod dicitur, cum aliquâ notitiâ communi è diametro pugnet.* At dum proposito quocunque objecto, facultas nostra aliqua rem esse probat, simul indirectè attestatur, ejus contrarium non esse; Id quod sufficit, ut falsum habeatur, etiamsi esse possit, neq; ulli notitiæ communi repugnet: sicut cum te stantem video vel ambulantem, falsum est, *te sedere*, indirectè id quoque attestante visu meo, etiamsi non

sit impossibile, neque notitiæ alicui communi adversetur. Sed & de subjecto falsitatis dissentit à Scholis, dū eam omnē in prævias *apparentias*, aut *conceptus* facultatum prodromarum rejicit, & infallibilem intellectum pronunciat, uti liquet ex p. 319. & 320. Quid autem fiet de illis, quorum nec *apparentiæ* dantur, nec *conceptus* prodromi, quia facultates prodromas excedunt, & soli intellectui analoga sunt? An non circa hæc falli aliquando potest intellectus? Imò nec semper errorem *apparentiæ* vel *conceptûs* animadvertit; tantum abest, ut nunquam non illum castiget.

§. 25. Porrò *verosimile* & *possibile* eatenus unâ definitione complectitur, quatenus utrumq; id esse dicit, *quod cum neq; verum simpliciter neq; falsum respectu nostri perhiberi possit, ancipitem sensum inducit*: sed eò maximè distinguit, quòd illud ad *præterita*, hoc ad *futura* restringit. Neutrum rectè dictum. Certè ut aliquid sit verosimile, non sufficit, neq; verū esse, neq; falsum, respectu nostri; alioquin seu numerū stellarum parem, seu imparem dicceres, utrumq; esset verosimile, quia neutrum verum respectu nostri, neutrumq; falsum est: sed requiritur insuper, *ut magis videatur verum esse quàm falsum*, sive ut vero quam falso sit similius, ob probabilem aliquam rationem, quæ in proposito exemplo ab utroque oppositorum abest. Neque ulla est causa, cùr *verosimile* de *præteritis* hîc accipi debeat, cûm & in iis, quæ sunt, aut erunt, aliqua reperiantur, quæ non sint certa, magis tamen videantur esse vera, quàm falsa: ut si homo verax & spectatæ fidei tibi promittat aliquid, quod factu vel datu facile, nonne verosimile dixeris, id futurum? Quòd autem Auctor futura vocat *possibilia*, & eo nomine à *verosimilibus* distinguit, planè ineptum est. Etsi enim omne quod futurum, possibile est: non tamen omne quod possibile, futurum. Neque dum futura intellectui objiciuntur,

tur, *ancipitem sensum inducunt*, quà *possibilia* sunt, siquidem esse possibilia certò nôris, sed quà *futura* asseruntur. Hac autem ratione *verosimilia* sint necessum est, si magis videntur esse vera quàm falsa, aut magis futura quàm non futura: sin contrà; *improbabilia* aut *verodissimilia* erunt. Quamobrem non est, cur *futura*, sub voce & titulo *possibilium*, à *verosimilibus* distinguantur: rectè autem à *veris* & *falsis* secernuntur *verosimilia*, & quæ his opponuntur, *improbabilia*, sive *verodissimilia*. Revelatio verò cur ab illis omnibus separetur, planè nulla est causa, ne quidem ex Auctoris hypothesibus. Præsupponit enim, *& hic ultra facultates nos sapere, non esse tutum* p. 288. Ideoque prout diversa revelationis ad facultates nostras est habitudo; ita eam nunc *verosimilibus*, nunc *possibilibus*, quæ addit; nunc etiam *falsis* accenset. Dum verò nos omnia, quæ in sacro Codice utriusque Testamenti continentur, pro *revelatis* & *indubitatò veris* habemus, grandem nobis sed immerentibus dicam scribit, quasi nec *verosimilia* nec *falsa* satis à *veris* dignoscamus, reclamantibus uteunque facultatibus nostris. videl. de V. p. 302.

§. 26. Hæc sunt fundamenta novæ & accuratioris Philosophiæ, ad probandam *veritatem*, & à *revelatione*, *verosimili*, *possibili* & *falso* distinguendam, ut sonat & promittit superba libri de veritate inscriptio. Quibus si quid subest veri, non neglexerunt Scholæ nostræ, utcunque eo nomine vapulent. Non confundunt diversos probandi modos: neque enim notitias communes pro sensuum probationibus, neque has pro illis venditant; neque discursu abuntur ad convellendas notitias communes, aut sensuum probationes: non in religionis negotio verosimilia, nedum falsa, pro veris accipiunt, aut sibi obtrudi patiuntur; neq; præjudiciis eò usque ducuntur, ut contradictoria aut noti-

tiis communibus è diametro opposita probent. Abstinent autem, & meritò quidem, à novis nominibus, quæ prisca ignoravit ætas, neque veteres terminos novâ & inusitatâ significatione accipiunt, ne non intelligantur: neque facultates & sensus ad numerum objectorum multiplicant, nullâ id flagitante causâ. Summa interim dictorum Scopusque & usus novæ methodi ferè ad quatuor capita redit: (I) Nihil neque in sacris neque profanis rebus tanquam *verum* admitti posse & debere, nisi *attestantem habeat aliquam in nobis facultatem*, ideoque si quid tanquam verum proponatur, primùm & ante omnia inquirendum esse, *ex qua facultate id probetur.* (II) Omnes probationes ex inferioribus facultatibus, videlicet ex *sensu interno*, vel *externo*, vel *discursu*, reducendas esse ad *notitiam aliquam communem*, in qua sistatur. (III) Quod nullô facultatum nostrarum judicio constat, vel *verosimile* esse, vel *possibile*, vel *falsum*. (IV) Quod contradictionem aliquam implicat, aut notitiæ cuidam communi repugnat, id demum *falsum* esse: quod autem neque falsum eo modo, neq; simpliciter verum respectu nostri fuerit, id si sit *præteritum*, *verosimile esse*; sin *futurum*, *possibile* perhiberi.

§. 27. Ex his non *directè* quidem, sed tamen *indirectè* & per cuniculos fundamenta revelatæ & Christianæ religionis convellit. Directè id agit, ut ex *communibus notitiis*, à naturâ in cujuslibet hominis sani mente descriptis, veram religionem stabiliat. Nempe veram negat esse religionem, nisi *facultatum nostrarum sufficienti indicio* constet. At *notitias communes* de Deo & cultu ejus, attestante *instinctu naturali*, & *universali consensu* gentium veras esse, undiq; certum præsumit. Quamobrem his præcipua veræ religionis momenta contineri concludit. Quod si porrò de

reve-

revelatâ & Christianâ nostrâ religione quærâtur, *an sit vera religio*: distinguit hîc quoque notitias communes ab iis, quæ ex revelatione accesserunt. De illis decernit, ut anteà, quòd fundamenta sint veræ religionis: De his verò flagitat idoneas probationes. Nos fidem nostram revelatione & divinitate, atque authentiâ scripturæ S. roboramus, nixi his duobus principiis: (I) *Quicquid DEUS revelavit, est infallibiliter verum.* (II) *quod in sacro Codice continetur, Deus revelavit.* Prius, non dubito, quin ipse Antagonista ex serie notitiarum communium desumtum putet. De posteriore sacer Codex sibi ipsi fidem facit, apud hos quidem, qui qua par est attentione & pietate eum legunt. Quisque enim renatorum & fidelium saltem pro se ipso certus est ex interno testimonio Spiritus Sancti, S. Scripturam esse verbum Dei, licet hoc suum lumen, hoc testimonium Spiritûs Sancti, quo apud se convictus est, aliis ostendere & impertire nequeat. Quod si verò idem aliis sit demonstrandũ, non spernenda sunt ἀξιοπιστίας argumenta, quæ Scholæ ab externis motivis, in quibus olim eminebant miracula, tùm & ab internis quibusdam κριτηρίοις Sacri Codicis, in quibꝰ magna vis inest, deducunt. His autem omnibus non contentus novæ methodi inventor, probationes ex facultatibꝰ nostris benè conformatis desiderat. *Cum enim*, inquit, *revelationes falsæ esse possint, ultra facultates ipsis in revelationibus sapere, vix tutũ arbitramur.* Item: *Magnoperè interèà cavendum, ne imponatur*, (vanâ revelationis imaginatione) *quod atrabilariis, superstitiosis, & causas rerum ignorantibus ubiq; contingit.* p. 288. 289.

§. 28. An autem & quomodo indicio facultatum nostrarum veræ revelationes à falsis dignosci possint, id est κριτήριον. Potest verò aliquis decipi dupliciter: vel dum sibi factam imaginatur revelationem, quæ non facta est; vel

dùm temerè aliorum revelationi credit. Tibi ne imagineris, sed verè factam scias revelationem, Auctor quatuor conditiones requirit. *Istæ tamen conditiones*, inquit, *si adsint, fidem revelationi adhibere consulimus*: (*I.*) *Ut oratio, votorum nuncupatio, fides, & cunctæ demum, quæ providentiam sive universalem sive particularem provocant facultates, præmittantur.* (*II.*) *Ut tibi ipsi pateſiat: quod enim tanquam revelatum ab aliis accipitur, non jam revelatio, sed traditio sive historia habenda est: cùm autem historiæ sive traditionis veritas à narrante pendeat, fundamentum relationis extra nos possidet, & proinde tota respectu nostri est verosimilis.* (*III*) *Conditio est, ut bonum aliquod eximium suadeatur, aut verum doceatur; ita enim revelationes sanæ à tentationibus insanis & impiis distinguuntur.* (*IV*) *Conditio est, ut afflatum Divini Numinis sentias: ita enim internæ facultatum circa veritatem operationes, à revelationibus externis distinguuntur.* Quibus annectit hoc συμπέρασμα: *Quando igitur quod datur, humanum superat captum, & conditiones suprà enumeratæ adsunt, & in opere perficiendo denig, Divinum persentis auxilium; propitium Numen venerare.*

§. 29. Verùm enimverò non hodiè quæritur, an nobis, mihique vel tibi fiant veræ revelationes, quem enthusiasmum à nobis deprecamur longè, in aliis verò detestamur, sed an Prophetis & Apostolis olim factæ fuerint, & intemeratæ ad nos pervaserint, quod probatu multò est difficilius. Neque enim quisquam sanæ mentis sibi temerè blanditur falsâ imaginatione raptûs divini, neque quicunq; quovis seculo habuerunt à Deo summo revelationes, ignorârunt se habuisse, aut dubitârunt. Idem verò ut nobis persuadeamus, & nos vicissim aliis; novis probationibus est opus. Fingit autem novus Methodista Sacerdotem, qui revelationem sibi factam jactet, & *in hoc*, inquit, *præter*

ter enumeratas suprà conditiones, hasce etiam non ineptè requirat Laicus: (I) Ut extra dubium omne ponatur, revelationem Sacerdoti obtigisse. (II) Revelationem illam à Deo summo, sive proprio ore (ut olim dictum) loquente, sive Angeli boni mysterio utente profectam fuisse. (III) Revelationem, sive oraculum, sive verbum illud fideliter recitatum redditumq; à Sacerdote fuisse; aut ubi opus esset, scriptum vel exaratum, & ad posteros ex Sacerdotis autographo transmissum, adeò ut si aliquid sequentibus seculis auctum, imminutum, immutatum esset, id omne ex Autographi illius auctoritate corrigi, restitui, emendari possit. (IV) Revelationem illam ad posteros ita intimè spectare, ut in articulum fidei necessariò tuanseat, tum ob id præsertim, quòd ex testis singularis fide hujusmodi omnia ferè pendeant. Quibus ita conditionibus commemoratis, subjicit: Hæc quidem Sacerdos (scil. qui jactat revelationem) probet, priusquam Laicus sese totum ejus revelationi credat. Quòd etiam nisi faxit Sacerdos, vix aliquid (puto) ex ejus revelatione statuerit prudens Laicus, quod non etiam citra illam amplecteretur, scilicet emendationem vitæ & similia, quæ in foro interno describi supra monuimus, p. 290. At nimis quàm absurdè hîc Auctor philosophatur. Quam facit primam conditionem, non conditio, sed ipsum, quod probandum erat, rei caput est; videlicet an Sacerdotibus, qui revelationes sibi factas narrant, & cum primis, an *Prophetis olim & Apostolis*, quod nostram quidem Christianam religionem attinet, *veræ revelationes obtigerint*? Debebat hîc Methodista ex novâ methodo promere nova probandi media; sed tacet. Neq; rectè conditionem primam à secundâ sejungit; quasi primùm quidem seorsum probandum sit, *factam esse revelationem*, & deinde eam *à Deo summo profectam esse*: quandoquidem hîc non de aliis, quàm de divinis illis revelationibus agit, quibus

bus etiam superiores quatuor conditiones accommodavit: neque adeò revelationes sibi quisquam, nisi a Deo factas, probaverit. Tertiâ conditione tacitè fodicat, quas à Prophetis & Apostolis accepimus revelationes, probatoque, quòd revera ipsis contigerint, duo nobis insuper probanda injungit: primùm bonâ fide ab illis esse recitatas, & literis consignatas; deinde intemeratas ad nos perveniisse, aut sicubi sequioribus seculis fuerint immutatæ, ex autographis Prophetarum & Apostolorum corrigi & restitui posse. In quartâ conditione præsupponit, aliquando huic vel illi factam esse aut fieri potuisse revelationem, quin posteri eâ tenerentur: ideoque ut revelatio quæcunque etiam ad posteros extendatur, cupit probari, *esse articulum fidei.*

§. 30. Etsi verò Auctor l.c. ad postulatas conditiones nõ exigit revelationes, quas Sacer noster exhibet Codex, adeoque suum de illis judicium tacet; in aliis tamen cum locis parallelis, tùm breviculâ, *quid Laicus de religione optimâ statuerit*, disquisitione, quam libello de error. caus. attexuit, lectori cordato satis prodit, se non pro veris illas S. Codicis revelationes, sed pro verosimilibus tantùm habere. *Sed concedamo tandem* (ait p. 7. in brevic. dilqu.) *ea omnia, quæ à magni nominibus auctoribus proferuntur* (*quantumvis mira, prodigiosa, & tantum non ἀδύνατα*) *vera fuisse; haud tamen tua veritates fuerint, sed eorum, quibus ista ex facultatibus probè confirmatis nôsse contigit. Neque igitur ut vera in se ipsis sint* (*quod solus tamen novit Deus*) *tibi haud aliter quàm ex Auctoris fide liquebunt. Et proinde verosimilia tantùm fuerint; cum de objectis extra facultatum tuarum* (analogiam) *sitis, judicare nequeas. Adeò ut immane quantum inter scientiam & fidem illam, quæ in assensum venit, biet chasma.* Sed hactenus indiscriminatim de sacra cujusque religionis historiâ decernit, uti liquet ex his

ex his, quæ subjicit p. 9. *Sed quia non humanæ solummodo, sed Divinæ etiam revelataq; (si credere fas sit) inter exteras Nationes, ipsosq; Indos, sive scriptæ, sive non scriptæ extant historiæ: quid de illis sentiendum?* Ad quæ jubet Auctor viatorem, quem vocat, sumto in manus sacro codice, dignoscere, *quid RATIONI RECTÆ, probæ scilicet facultatum conformationi, quid FIDEI porrò circa præterita existimetur congruum, ut de utraq; seorsum statuat.* Tandem ad nostras Scripturas S. devolutâ oratione, etsi *præ cæteris tum antiquitate, tum auctoritate eximiâ Judæis & inde Gentibus traditas* laudat, cæterà tamen minùs æquo in eas arbiter pronunciat: *Neq; enim æquali auctoritate præditum, quicquid in S. S. continetur, dixerit vel ineptissimus Sacerdos. Quùm & humano more loquentes ipsos Apostolos & Prophetas, vel ex ipsorum confessione deprehendere liceat. Quid igitur in S. Bibliis tanquam ipsissimum Dei verbum, quid porrò ad salutem maximè necessarium, disquirendum manet.* Ad quod ζήτημα se explicat, ut suprà, distinguendas esse notitias communes â superadditis, rectamque rationem â fide. *Quo loco*, inquit, *occurrent primo certè veritates nostræ Catholicæ* (i. e. notitiæ communes) *quæ tanquam indubiæ Dei effata, & in foro interiori descripta, secernendæ, reponendæ fuerint, ut quid deinde supersit, exploratum habeatur.* De superadditis, ut de miraculis, Prophetiis, ritibus, Sacramentis, ceremoniis & mysteriis quibusvis decernit; *esse eo fine tradita, ut veritates Catholicæ magis inde illustrentur, signentur, sanciantur* p. 11. Sed tamen cum controversa sint plurima, concedenda esse *eâ lege, ut attentè & haud ultra facultates sapias* p. 14. Alibi eodem habet loco S. nostram scripturam, quo aliarum religionum Codices & historias, & unâ sententiâ omnium auctoritatem labefactat, quod cumprimis manifestum erit legenti breviculam ad Sacerdotes παιδάγεσιν,

quâ eorum de sententia suâ judicium exposcit, cujus initialia verba sunt: *Si tamen cujusvis religiosi ordinis &c.* Ubi considerare jubet Sacerdotes, *annon ea quæ ex auctoritate SS. Codicum (ut vocantur) quovis seculo vel religione receptorum hisce* (notitiis cõmunibus) *addi solebant vel solent, sint suâ in origine suspecta, involuta, & controversa, quin & à cœtibus illis, quibus alia placuere fides, totô genere rejecta, uti quæ nullâ demonstratione necessariâ fulciantur. Tametsi enim indubium sit axioma,* DEUM SUMMUM VERACISSIMUM ESSE, QUIN NEQUE FALLERE, NEQUE FALLI POSSE: *qui tamen mutuò probabunt diversi in diversis mundi partibus sive Legislatores sive Sacerdotes* (I) *Deum summum proprio ore, vel (juxta aliquos) Angeli aut inferioris alicujus Numinis ore locutum fuisse.* (II) *Vel sermonem illum in memoria eorum servatum, aliisq; subinde fideliter recitatum fuisse.* (III) *Vel exemplaria vera sermonis illius posteris consignata fuisse, adeò ut nihil ex amanuensium vitio vel incuriâ sequentibus seculis superadditum, demptum vel immutatum esset.* (IV) *Sermonem illum particularem particulari Legislatori vel Sacerdoti factum, non tantùm ad omnes alios Legislatores vel Sacerdotes necessariò spectare, sed & ipsos Laicos ita ubiq; obstringere, ut ad novas & ante id temporis incognitas leges, vel nova fidei dogmata acceptanda inde impelli possint; præsertim ubi à rectæ rationis principiis desciscere vel decedere eam ob causam cogerentur.*

§. 31. Non interim Sugillator is vult videri, qui S. Scripturæ nihil auctoritatis & fidei tribuat, ne planè alios offendat. Quamobrem, *at dicent forsan Nostrates*, infit, in breviculâ quam dixi disquisitione, sibi objiciens, quod alios prævidit objecturos, *me disertiùs de S. Scripturis loqui debuisse*, scilicet quantam earum esse auctoritatem putarem. *Quibus respondeo* (regerit) *neminem præclariùs de illis sentire, ut qui*

ut qui optimas rectè beatèq; vivendi vel in æternum leges in S.S. tradi asseveraverim. p. 31. Itē: *Revelationi inter hæc sua stet veritas, cui his nostris adeò nulla derogatur fides, ut quæcunq; præterea adjecerit, in lucro ponamus.* p. 282. l. de Verit. Verūtamen ut alibi, ita & hîc sub personatâ pietate latet Sophista. Quod semel atque iterum jactat, *præclarè se de scriptura sentire, nec fidem ei derogare*, nimis quàm generale est, & ambiguum: disertiùs debebat edisserere, quod in quæstione erat, scripturam S. esse verbum Dei, & veras Dei revelationes exhibere. Quod dum cunctatur fateri, denuò sibi ipsi objicit l. de ver. p. 298. *Itáne historiarum fidem convellis, infirmas, quasi parum fecisse videantur, qui historiam creationis, redemtionis mundi &c. tradiderunt?* Ad quæ, *imò maximè*, respondet, additâ hac interpretatione; *sed Deum, à quo, per quem, in quo, ad quem omnia, non tanquam historiam, sed notitiarum communium doctrinam accipio; de modo, tempore &c. penes auctores ut sit fides.* Scilicet ut alibi de tota Scripturâ, ita hîc de historia creationis & redemptionis mundi suum expromens judicium, separat notitiarum communium doctrinam inibi stabilitam, ab historicâ descriptione modi, temporis, & aliarum circumstantiarum: illam non minus hîc quàm ubique aliàs indubitatò & infallibiliter veram prædicat: hujus verò fidem vult *esse penes auctores.* Nihilominús quasi æquus & liberalis Scripturæ æstimator subjicit: *Neque igitur historia sacra hisce nostris concidit fides, vel detrahitur, cui cum maxima hominum parte adsensum ita lubentissimè præbeo, ut & ista & majora fecisse Deum, si prædicarentur, omnino crederem. Sed cognitionem & certam scientiam à fide per auditionem, ita distinguo, ut quid sciri, quid credi possit, in omni religione advertam. Stet igitur inter libros SUMMUS, ille Scripturæ Sacræ, cujus ut varij fuerint auctores, quos miro*

nexu inter se composuit seculum illud posterius, quid tamen non θεόπνευστον *toto contextu, quid non tanquam sanctum & à* DEO *profectum opus piè credi possit? Istum g. librum (cæteris sepositis) summa veneratione accipimus, neq; ullibi solamen comparamus, vel præsidium firmius.* Hæc ille satis præclarè in laudem Scripturæ S. sed more Sycophantico, & diversissimâ à nobis sententiâ. Quicquid enim Scriptura S. docet, nos divinitus inspiratũ, eoq; infallibiliter verum credimus. Ille verò eatenus scripturam simpliciter verã perhibet, quatenus in eâ notitiæ communes asseruntur, neque ob θεοπνευσίαν, sive Dei inspirationem, sed quia illæ ex instinctu naturali & universali consensu veræ sunt, citra Dei inspirantis auctoritatem. Neque aliter *optimas rectè beateq; vivendi leges* Scripturæ laudat, quàm quatenus notitiis communibus congruunt. Additas interim his revelationes, etsi non pro *falsis*, attamen non ultrà, quàm pro *verosimilibus* habet; imò & pro *falsis*, sicubi contradictione aliquâ implicentur, aut notitiis communibus adversentur: quod à scripturâ non esse alienum, præsumit.

§. 32. Verosimilitudinem revelationum eadem ratione, quâ omnium historiarum asserit, puta quia cùm contradictione non ullâ implicentur, fieri potuerunt, eoque non negari, sed nec affirmari debent. *His igitur*, inquit, *sua stet fides; fieri enim potuisse (si Deus voluerit) agnoscendum.* —— *Quædam enim affirmare, nihil nisi contradictoria negare doctrinam nostram, non semel professi sumus.* Si ingeras, revelationem divinam eò antecellere humanæ historiæ, quòd præ illa infallibiliter vera, adeoque plus quàm vero sit similis; respondet: *Non hæc veritas tua, sed auctoris fuerit (cui facta est revelatio) cui si conditiones obtigerunt, unde facultates sua cum objectis sive propriis sive communibus con-*

for-

formari potuerunt, verum in relationibus suis prodiisse existimandum est. Quæ ratione quod ille scire potuit, te credere par est. Fides enim omnis (tametsi per plurima secula traducatur) in scientiam sive cognitionem Auctoris, à quo historia fides manavit, ultimò transferenda est; adeò ut hoc quoque scientia fidem præcedat & stabiliat. Cum tamen quod isto pacto creditur, nullo proprio facultatum indicio constet: ideò quod in narrante verum, in accipiente erit solummodo verisimile. Ex quibus patet, nullam alienæ veritatis esse normam, sed quod verum in authore sonare videtur, reipsâ falsum, quemadmodum absonum quodvis (contradictiones & ἀσύστατα si tollas) verum esse posse; & proinde tanquam extra analogiam suam constituta, ad te necessariò non spectare. Neque enim veritates tuæ fuerint, sed verosimilia p. 297. de ver. Nec multò post ibidem disserit, *totam historiæ* (etiam sacræ) *molem esse ita constitutam, quòd vera veritate rei ut fuerit, vera veritate intellectus (cujus fundamentum in nobis est) esse nequeat, & proinde verisimile optimè dictum existimetur, cùm non sit magis credibile illum olim fuisse falsum, quàm te modò futurum.* Quibuscum, ambigas, quomodo cohæreant, quæ subjiciuntur: *Omnem historiam legitimam adeò parum à veritatis naturâ recedere existimandum est, ut quæ ἀξιόπιστοι dixerint, summæ impudentiæ fuerit dubitare, veritates istius classis ut in fidem & fortasse credulitatem, illius inscientiam & intellectum desinant.* Item: *Quorsum enim solus dubitaret quispiam, cùm pluribus celeberrimis provinciis, seculis, scriptoribus, auctoritas historiæ alicujus sive sacræ sive prophanæ vallata, stipata, munita sit? Hujusmodi scripta igitur, si non tanquam veritates ipsas, saltem prout veritatis civitate donatas, quidni habere licuerit?* Nempe omnia huc spectant, credenda esse, quæ in scriptura S. notitiis communibus superaddita asseruntur, quatenus tot

abhinc seculis, tot testium & Scriptorum auctoritate sunt comprobata, licet non plusquàm verosimilia perhiberi possint. Addit autem ubique cautelam: *Heic judicio & delectu opus est.* Item: *Quod tamen sobriè & intra cancellos intelligendum.* Cumprimis verò *miracula*, infit, *quæ confarcinaverit quispiam, ad stabiliendam fidem sive legem novam, impostoram redolere semper nobis visum est* pag. 299. Et paulò post p. 300. *Hoc solummodo observamus, miracula quædam centum post annos obitûs illius qui ea patraverit conscripta, centum deinde post annos credita ut plurimùm fuisse, quæ adeò tanquam dubia fidei in omne ævum quidni superstint, cùm argumenta, unde auctores vel veri fuerint vel falsi, nos æquè ac posteros lateant?*

§. 33. Sed & in sacro Codice falsa reperiri, etsi pluribus in locis Auctor dissimulat, ex hypothesibus tamen ipsius necessariò consequitur. Dum enim non plusquam *verosimilia* vult esse, quæ præter notitias communes in scripturâ S. traduntur; quid aliud significat, quàm posse *secundum rem* falsa esse, quæ *respectu nostri* sunt verosimilia? Unde *verosimile*, ait, *magnam falsi misturam obtinere posse, quemadmodum & possibile.* l. de V. p. 319. Quanquam ibidem addit, *imperfectas veritates potiùs quàm falsitates existimandas esse*, puta respectu nostri, quibus magis videntur esse vera, quàm falsa. Et l. de error. causis meminit, *falsum sub verosimilis vel possibilis specie forsan adumbrari.* p. 73. Item: *quoddam verosimilium genus ad verum, aliud ad falsum quàm proximè accedere.* l. de Ver. p. 307. Quinimò alibi passim conqueritur, Sacerdotes ex S. Scripturâ proponere dogmata suspecta, involuta, controversa, quæq; malè cohæreant, aut implicent contradictionem, aut notitiis communibus repugnent. Utrum autem ea ipsis Scripturis & earum auctoribus sint imputanda, tacet, nisi quòd p. 298. sub finem scribit: *Si quid tamen*

tamen in sacrum quemvis vel profanum librum, ex incuriâ sive quidem curâ temporum, olim irrepsisse compertum fuerit, unde Deus Opt. Max. malè audiret, & attributa Divina ex consensu universali agnita convellerentur, si non emendandum Codicem (quod non novũ est) saltẽ interpretes incusandos esse, qui à mente auctorum & ipsa demum analogiâ fidei discedentes, opiniones invexerunt notitiis communibus repugnantes, quidnî arbitremur? Sed & in breviculâ ad Sacerdotes paræneſi monet, *non totũ aliquem librum* (sc. sacrum) *sed nec textum ejus vel versiculum aliquem, tanquam authenticum indubiumque, accipiendum esse, donec singulæ ibidem loci propositiones, juxta prædicata & copulas, ad debitum facultatum humanarum examen perducantur, ex earumque testimonio ceu veræ comprobentur, vel ceu verisimiles aut possibiles tantùm accipiantur, vel ceu falsæ tandem prorsus eliminentur.* Et paulò post subjungit, *in cujusvis S. Codicis explicatione se animadversum velle, ne verum à veroſimili, à possibili & à falso incautus haud satis distinguat Laicus.* Ex quibus omnibus sole clariùs liquet, Auctorem Scripturas S. ab omni errore falsisque impollutas esse non existimare.

§. 34. Videat jam cordatus lector, annon Naturalista ipsa Christianæ religionis fundamenta convulsum ire contendat, dum in Scriptura S. quæ ejus principium, nihil quod simpliciter sit *verum*, præter communes notitias, tradi, reliquaque omnia aut *veroſimilia*, quatenus præterita sunt, nec implicant contradictionem, aut *possibilia*, quatenus futura sunt (quæ tamen nos à *veroſimilibus* malè sejungi annotavimus) aut deniq; quatenus contradictione involvuntur, *falsa* habenda esse. Accedit, quòd dum *veroſimilia* illa S. Codicis credi debere, & se quoque credere affirmat, rationem credendi non tàm à *Dei revelatione*, quàm ab *Ecclesiæ auctoritate* accersit. *Nos quidem*, inſit, *ea omnia, quæ*

quæ seculis prioribus de bonitate & misericordiâ divinâ decantantur, solenni fide & gratiarum actione accipimus, & non solùm fieri potuisse, sed etiam facta fuisse, cum maximâ hominum parte credimus. de Ver. p. 284. Si quæras, quamobrem & quousque credat, responsum feres, quod ibidem, paucis interjectis, subjicitur: *Namque ubi veritates nostræ Catholicæ, in adyta animæ receptæ, ex indubiâ fide illic stabiliuntur, quod reliquum est, ex auctoritate Ecclesiæ piè credi potest & debet; modò exclusis vel sublatis contradictionibus quibuscunq; ea solùm in hominum animos inducantur, quæ pacem communem concordiamque alant, vitaq; sanctimoniam promoveant.* Itaque quæ sacer Codex, aut ex illo Ecclesia notitiis communibus addidit, vult credi ob auctoritatem Ecclesiæ, & quatenus verosimilia sunt, atque in publicum utilia, rejectis contradictionibus & falsis, inutilibusque. Quæ immane quantum derogant auctoritati S. Scripturæ? Sed iis gemina sunt, quæ in brevie. disqu. apud ipsum leguntur pag. 3. *Hasce igitur tanquam Catholicas Ecclesiæ veritates* (notitias communes) *habe. Nihilo segniùs ea, quæ sunt fidei, assequeris: Credi enim posse & debere, quæ veritatibus hisce non repugnant* (*ubi insigne Ecclesiæ testimonium accesserit*) *non semel monuimus. Quis enim beneficii sive divini sive humani compos evaserit, qui illam præ diffidentiâ exuerit? Quis non fœdi erroris reus, qui, quod intra potentiæ divinæ ambitum, multaque auctoritate præclarum, respuerit? Sua igitur fidei stet dignitas, ubi satis asseritur, ubi satis distinguitur.*

§. 34. Prætereà reputans secum Naturalista, *quinam articuli sint necessarii, & qui minùs*, cum absque omni dubitatione pro necessariis ducit notitias communes, tùm de his, quæ Sacer Codex, aut ex eo Ecclesia addidit, ambiguè differit. *Non negamus*, ait, *& sacras dari posse ceremonias; imò*

imò aliquas in omni religione ceremonias ad ornatum commodissimè insertas advertimus; harum igitur quidam est usus. Dum tamen ab Antistitibus, tanquam religionis ESSENTIALES PARTES, statuuntur, & religioni & nobis ipsis imponitur. Stent igitur intra cancellos suos. Eâ lege demùm adhibeantur, ut semper in animo infigatur, religionem castam, qualia matronam, decere redimicula, ea scilicet, quibus magis augusta, spectabilis & reverenda prodeat; pigmentatas demùm & fucatas, artem ἑταιρικὴν & quaestuariam nimis redolere, p. 283. Hactenus ergo decernit, sacras ceremonias, sub quibus, ni fallimur, sacramenta comprehendit, ad ornatum quidem prodesse, sed non *essentiales partes* religionis, imò si nimis sint pigmentatæ & fucatæ, eâ indignas esse. Alibi ex communibus notitiis fingit sibi *religionem rotundam*, cui veluti circulo, nihil addi, nihil detrahi possit. Idque repetens, sub specie sciscitantis causam, ni res ita sit, maximè asseverat p. 286. *Quidni igitur*, ait, *juxta communis saltem religionis normam de rotundâ Dei religione (uti alibi diximus) ac de circulo existimari possit, ut qui aliquid addiderit vel dempserit, ejus formam vitiaverit, integritatemque corruperit?* Quanquam mox se ipsum quasi corrigit, & dubitantis aut judicium suspendentis more subjungit: *Sed neque hoc temerè aliquid statuerim.* At statuit omninò aliquid, & satis temerè, dum dicta rescindit. Metuens scilicet, ne inexpiabili offensâ à se dissociet Sacerdotes, si nihil ex revelatione ad naturalem religionem addi posse contendat, formam ejus *rotundam* sic interpretatur, quòd nihil hinc demi adjici autem aliquid possit. Quanquam additiones ita vult notitiis communibus esse attemperatas, ut dubites, an & quousque ab illis distinguat. *Equidem nihil*, inquit, *hinc demi posse ultrò asseveraverim. An verò quædam addi Religioni rotundæ, uti circulo,*

commodè possint, non ita ambegerim, modò spectabilis circuli forma ita conservetur, ut nulla ex parte obliteſcat. Pulcra quippe *providentiæ Divinæ universalis idea* (quam scilicet notitiæ communes exhibent) *illustrata decorataq́, non utiq́ larvata aut obscurata prostare debet. Quicquid igitur circulari huic figuræ adjectum fuerit, ex schemate tum centro tum peripheriæ uniformi & congruo decenter & appositè respondeat.* Nempe ea ad notitias communes censet addi posse, quæ non longè ab illis recedunt; imò quæ illas stabiliunt, non verò destituunt, aut tollunt, aut nimiùm arctant. Quamobrem statim in ista pergit: *Si non his* (communibus notitiis) *simpliciter insistendum existimaverint Antistites, quò pax communis ita alatur* (*circa fidei enim dogmata tantùm lis est*) *sed & ea simul ex Fide circa præterita superaddi judicaverint, quæ ingentem DEI misericordiam in genus humanum ostendant* (*quam quidem sententiam lubens amplector*) *haud ea tamen adjici sinant, unde providentia illa universalis destituatur, aut in arctos recessus, locive angustias cogatur: sed nec ea introduci patiantur, unde Rotundæ Religionis severitas, ex nimis facili spe veniæ factâ, plus justo molliatur aut excidat, ne eò citiùs in peccata supini, minusquè sibi caventes, dilabantur homines.* Quibus ultimis verbis perstringit ac rejicit principalem Christianæ religionis articulum, de remissione & veniâ peccatorum, per & propter Christum impetrandâ, tanquam qui ea passionibus & morte suâ expiaverit. Quamquam isto & aliis pauculis exceptis, non disertè definit, quosnam articulos addi communibus notitiis posse, & quos rejici debere censeat. In S. Scriptura (eam, quæ V. T. est, intelligat oportet) meminit, *præter historiam Hebræorum, miracula plurima inter illos edita, Prophetias, ritus, Sacramenta, Ceremonias, religiosumq́ cultum Gentis illius* (*præcipuè*) *non exiguâ consurgentia mole reperiri.* De quibus

us ita ſtatuit: *Sed eo fine tradita certè (ſi ritè intelligo) ut veritates, quas vocamus Catholicas,* (i. e. communes notitiæ) *magis inde illuſtrentur, ſignentur, ſanciantur. Quæ enim illuc non vergit ſuis ambagibus myſteriisq; ſoluta doctrina? Quodnam non huc ſpectat myſterium? Quid tandem, niſi amor timorq; Dei, charitas in proximum, pœnitentia, ſpesq; melioris vitæ, ex Dei miſericordiâ in humanũ genus, ſuadetur?* Hæc & plura videſis in brevic. diſquiſ. p. 11. Ex quibꝰ facilè odoratur cordatus lector, non ultrà probare Naturaliſtam dicta additamenta, neq; ad naturalem religionem potiori jure pati accedere, quàm quatenus notitias communes illuſtrant, ſignant, ſanciunt. Certè non ita putat eſſe neceſſaria, quin iis abdicatis, aut infectis irritiſque, ſi quis intereà ſecundum notitias communes Deum colat, & ſalutem ſperet, ſalvari poſſit. Quamobrem ubi ea, quæ ex ſcripturâ naturali religioni adſtruuntur, non plus quàm veroſimilia eſſe ait, ne propterea fidem illis negare videatur, in hæc ſe reſolvit: *His igitur ſua ſtet fides; fieri enim potuiſſe (ſi Deus voluerit) agnoſcendum: ea lege tamen, ut ſi infecta fuerint, nihil minùs intra veritates æternas ſtari (idq; commodè) poſſe tecum reputes* l. 1. de Ver. p. 296. 297. Quibus quid aliud docet, quàm additamenta ex revelatione quacunq; non eſſe abſolutè neceſſaria, ſed poſſe aliquem, iis quantumvis infectis & fruſtrà creditis, ex notitiis communibus, quas *veritates æternas* laudat, beari?

§. 36. Adhæc notitias communes præ revelationibus quibuſvis eò maximè commendat, quòd cùm hæ ad quoſdam tantùm homines pertineant, illæ ſint *veritates & articuli Catholici*, genuſque humanum univerſum ſtringant. De notitiis communibus præclarè pronunciat: *Hæ ſunt omninò, ex quibus vera Eccleſia Catholica ſive univerſalis conſtat.*

p. 283. Item: *Sola Catholica, sola μονοειδὴς Ecclesia, est notitiarum communium doctrina, omne spatium, omnem numerum complens. Hæc sola enim providentiam divinam universalem, sive naturæ sapientiam pandit. Hæc sola rationem, unde Pater communis invocatur Deus Opt. Max. exponit, extrà hanc denique nulla salus. Quæ igitur particulari cujuscunq; Ecclesiæ attexuntur encomia, huic conveniunt, à quâ quæ maximè recesserit, maximè errori esse obnoxiam, suprà docuimus.* p. 284. De revelationibus autem certum præsumit, propriè ad eos spectare, quibus immediatè contigerunt. *Si cui tamen*, ibidem ait, *aliquid ex revelatione constiterit, quod fieri posse, sive in vigiliis, sive in somno, agnoscimus, in usum reponat; eâ lege, ut sibi sapiat.* Addit tamen hanc exceptionem: *Nisi publico aliquid permittatur bono*; atque ita concedit, tùm saltem ad alios quoque spectare revelationem, cùm eâ suadetur *eximium* (quod vocat p. 289.) & *commune aliquod bonum*, i. e. quo Deus pluribus velit consultum. Sed quibus terminis eo quoque in casu revelatio claudatur, Auctor nusquam, quod sciam, disertè decernit, nisi quòd ubi de iis loquitur, quæ sub revelationis obtentu ad notitias communes accesserunt, scribit: *Necessaria demum in universum esse nequeunt, quæ paucorum captui solummodò subjiciuntur* p. 281. Atque ita negat, ullas dari revelationes, ullave dogmata revelata, quæ ad universum genus humanum pertineant. Quo sensu ibidem *nova & particularia* appellat. Minimùm autem ad universos certæ nationis vel Ecclesiæ homines extendi patiatur oportet revelationes, quantumvis paucis immediatè exhibitas, si commune bonum suadeant. Quanquam quia omnes ferè revelationes, his quidem, qui eas à narrante accipiunt, non plus quàm verosimiles esse censet; neminem facilè ad eas amplectendas credet teneri, nisi auctoritas

tas Ecclesiæ accesserit; à qua proinde ubique fidei momenta derivat. Ita ubi Laicum monet, ne temerè sese totum Sacerdotis revelationi credat; addita exceptione, *nihil tamen*, inquit, *inde contra ea dogmata, quæ Ecclesia verè Catholica auctoritas unanimiter sanxerit, & in Dei summi gloriam evulgaverit, tutò statuere licebit.* p. 291. Et in breviculâ disquisitione, de S. Bibliis differens, scribit p. 10. *Quibus ideircò in omnibus, quæ olim gesta prædicantur, Ex ECCLESIÆ AUCTORITATE, fidem consummatam adhibere potest.* Nec multò pòst in hæc pergit: *Certè mira admodùm in S. Scripturis, plus quàm in reliquis omnibus historiis, traduntur, sed quæ non retundunt intellectum, sed exercent vel acuunt. Sed de his viderit Ecclesia. Quæ enim (illâ tacente) haud resciviſſem, citra illius testimonium haud credidissem unquam.* Quantum igitur ex his & aliis locis mentem Auctoris augurari licuit, eodem habet loco revelationes & articulos superadditos, quo leges positivas. Sicut hæ non universos homines, sed uno regno, uno imperio, vel civitate unâ sociatos obligant, eóque *leges propriæ* apud Aristotelem appellantur, l. 1. Rhet. cap. X, & XIII. Ita quoque additas communibus notitiis revelationes & articulos non vult latiùs valere, quàm quà patet Ecclesia, cujus quisque se civem profitetur. Quanquam hîc quoque ante omnia jubet, intendat quisque rectæ rationis limam, inquiratque, an quæ Ecclesiæ auctoritas adjecit, credi possint, salvis communibus notitiis. *Cùm penes Ecclesiam*, inquit, *sit historia* (sacræ) *fides, penes humanum genus judicandi restet libertas.* in brevic. disq. p. 10.

§. 37. Ex quibus etsi sponte suâ fluit hoc inauditum, hoc impium, & subvertendæ Christianæ religioni aptissimum consectarium: *Notitias communes, aut his innixam religionem naturalem ad salutem sufficere*: Naturalista tamen, of-

fensas Christianorum omnium veritus, hîc mirè tergiversatur. Nunc à proposito suo proscribit illam de sufficientia quæstionem, nunc præfert nihil de eâ alterutram in partem determinari posse, quòd tota res pendeat ab occultis Dei judiciis: atque ita initiò dissimulat suam sententiam, ut modestiæ occupet laudem, & aliorum odia prævertat. Mox tamen, quasi aliud agendo, aut quid probabiliter statui possit, disputantis more, adstruit sufficientiam & propugnat. Judicium suum suspendentis in speciem scribit l. de Ver. p. 285. *An verò hæc media* (i. e. notitiæ communes) *ad salutem æternam comparandam sufficiant, viderit, cui hæc curæ sunt, Deus Opt. Max. Nos quidem occulta Dei judicia minimè rimamur.* Nihilominus ad propositum suum regressus post illa immediatè subjicit: *Satis fuerit hoc monuisse, Mentem humanam notitiis communibus instructam eò usque* (*etiam quovis seculo vel regione*) *sapere potuisse, ut superstitionibus fabulisq; abdicatis, quinq; articulis nostris solummodò insisteret.* At si mens humana ex solis notitiis communibus potuit sapere ad salutem, quovis seculo & loco: quid restat tergiversanti antagonistæ, nisi ut eas ad salutem fateatur sufficere? Cujus etiam rei hanc addit rationem, quòd aliâs homo esset deterior bestiis. *Nisi*, inquit, *infelicius suo in genere hominibus, quàm ovibus, ingenium contigisse dicas, quæ in pascua dimissæ, noxiis relictis, salutares tantummodo decerpunt herbas.* Eandem rationem repetit breviculâ ad Sacerdotes paræneſi, simulque praxin salvatorum hominum à mundi incunabulis urget, dum ait p. 14. *Neque enim aliâ sapientiâ instructos, diversis in seculis regionibusque, agnovit suos Deus Opt. Max. neq; aliâ demum pietate* (*saltem publicâ*) *servavit.* At si Naturalistæ hæc Dei (nescimus ex qua facultate) innotuit praxis, non sinit occulta esse Dei judicia, sed jam satis prodit, ultra cul-

tra cultũ communibus notitiis ſubſtructum ne Deum quidem ampliùs quid ad Salutem noſtram â nobis poſtulare. Quam ſi adhuc negat eſſe ſuam ſententiam, quare ibidem diſſentienti, huicque *ſive antiquitatem Eccleſiæ alicujus oſtentanti, ſive novitatem exprobranti reſpondendum eſſe* (ait) *neque doctrinam veritatum Catholicarum ullibi novam, vel ritus ab omni ævo veteres fuiſſe; quin ut plura prædicarentur, Auditorem illis ſolummodò ſtare potuiſſe, quæ tutò crederet, quæ ſano modo intelligeret?* Cæterùm ut tergiverſantium mos eſt, non conſtat ſibi Naturaliſta, ſed quam jam faſſus eſt praxin ſalvatorum ab omni ævo hominum, ejus alibi ignorantiam præfert, cùm inter alia ait l. de Ver. p. 286. *Verùm enimverò an Sapientia humana in hoc ſcrutinium* (de articulis Catholicis) *quovis ſeculo vel regione deſcenderit, an quidem* (*hoc etiam conceſſo*) *ij omnes, qui ſequiores & nugis ſimiliores religionis partes rejecerint, aut fortaſſe ex Auctoritate Antiſtitum ſuorum, eas ſenſu myſtico explicantium, receperint, ſummæ beatitatis participes ſint, haudillicò dixerim. In hoc potiſſimum contendimus, ut huc usque ſapere poſſe & potuiſſe omnes homines agnoſcamus. Quæ tamen an præſtiterint, an verò his præſtitis neceſſariò ſalventur, adeò non diſputamus, ut hujusmodi omnia, quæ ab arcanis Dei conſiliis pendent; è Sapientia & Bonitate Divina conſulenda relinquamus.* Hîc non audèt fateri, quod verbis ſuprà citatis aſſeruerat, homines ab omni ævo *non aliâ pietate*, quàm notitiis communibus innixâ, *fuiſſe ſervatos*; obtendens occulta Dei judicia, quæ tamen dum ex Sapientia & Bonitate Dei conſuli poſſe fatetur, vel eo ipſo eſſe occulta negat. Quid? quod mòx quaſi oblitus modeſtiæ; *Si impugnas tamen* (inquit) *propugnabimus*, ſcilicet articulorum Catholicorum auctoritatem & ſufficientiam.

§. 38. Sed & alibi excuſatione occultorum Dei judiciorum

eiorum cunctatur exprômere, quid sentiat," cùm ex præsumtâ aliorum sententiâ ita sibi objicit & respondet: *Et quidem quinque hos articulos bonos Catholicosque esse unusquisque procul dubio fatebitur; ad salutem tamen æternam comparandam non sufficere perhibebunt nonnulli* (imò plurimi) *Cæterum qui ita locutus fuerit, ne ille quidem audax, nedum sævum temerariumque effatum* (meâ sententiâ) *protulerit; cum nulli satis explorata sint judicia divina; quam etiam ob causam neque eos sufficere protinus dixerim.* Vehementior hîc, quàm aliàs est, & quidem ut sonant verba initialia, in eos, qui notitias communes ad salutem *non sufficere* objecerint. At qui tantâ ubique cunctatione & modestiâ aliorum offensiones contendit prævenire, quomodo sui quasi immemor audaciæ, imò sævitiei & temeritatis damnaret effatum, quod omnium fere Christianorum facilè prospexit? An ergò quisquis notitias communes ad salutem sufficere affirmaverit, hujus potiùs effatum temeritatis damnat, ut ejus à se opinionem dimoveat? Quasi dicturus: tantum abest, ut eas ad Salutem sufficere certò adstruam, ut potiùs quisquis *ita locutus fuerit*, is mihi *audax, nedum sævum temerariumq; effatum proferre* videatur. Utrum autem cumque tandem oppositorum istis acerbioribus verbis perstringat, neutrum tutò asseri posse præfert, neque quòd *sufficiant* ad Salutem notitiæ communes, neq; quòd *non sufficiant*, ob judiciorum Dei eâ de re ignorantiam. Nihilo tamen minus ecquid saltem probabiliter statui possit, disputans quasi & conjectans, sufficientiam sibi mox defendendam sumit, cum porrò in ista progreditur: *Attamen probabilis mihi videtur eorum opinio, qui æquè piè & leniter de Dei judiciis statuunt, dum homo quod in se est præstat; neque enim in cujusvis potestate est, ut fides sive traditionem, quantumvis laxe* (præsertim ubi aliquâ ex parte contro-

trovertuntur) ad se satis pertingant: neq; tandem ex rectâ communiq; ratione quinque articulis addi potest dogma, unde magis sinceri piiq; evadant homines, aut pax concordiaque publica magis promoveatur. En! pro sufficientiâ notitiarum communium ad salutem, tres adfert rationes: (I) quia lenior Deus quàm severior præsumitur, in hominem, dum *præstat, quod in se est*, i. e. dum notitiis communibus insistit: (II) quia (quanquam hæc primæ rationis ratio est) non in cujusvis potestate est, traditiones revelatæ fidei ab omni ævo, præsertim aliquâ ex parte controversas, sub examen facultatum (huc enim collineat) revocare: (III) quia (quod alibi passim urget) notitiis communibus nullum addi potest dogma, sive quo pietas, sive quo pax publica magis promoveatur. Cæterùm quàm lubricæ sint hæ & aliæ rationes, aliâ dissertatione docere consilium est. Sufficiat hîc animadvertisse, Naturalistam sufficientiam notitiarum communium ad salutem certò adstruere, utut quadam cunctationis modestiâ aliquando eâ in re tergiversetur.

§. 39. Ex quo fonte aliud æquè pestilens scaturit paradoxum; *in qualibet religione dari sufficientia ad salutem media*; idque eò maximè, quia notitias communes, si has quidem universalis consensus comprobavit, in qualibet religione dari necessum est, ultra quas Naturalista nihil amplius ad salutem postulavit. Qua de causa ipse haud difficilis eam in sententiam scribit: *Sed in omni religione, imò & conscientiâ, sive ex natura, sive ex gratiâ, media sufficientia dari, unde Deo accepti esse possint, ultrò credimus: modò nova & particularia, quocunq; seculo fuerint, suis authoribus vindicentur.* l. de V. p. 282. Ne verò omnem religionem videatur probare, distinguit inter totam & ejus partem. *Non iacirco omnem religionem, si totum sumas contextum, bonam esse*, ait, id est, si notitias communes cum traditionibus & quibus-

vis additamentis, præsertim quibus notitiæ communes convelluntur, conjungas: Sin verò ab his illas seligas, catenus sufficientia ad salutem media dari. Fateri interim cogitur, saltem eâ lege in suâ religione quemlibet salvari posse, si præcisè notitiis communibus insistat, & traditionibus, quascunque duxerit esse verosimiles, piè creditis, cæteras quæ cum aliqua communi notitiâ è diametro pugnant, rejiciat. Distinguunt & nostri Theologi á *non necessariis*, articulos *necessarios*; non autem per hos, notitias communes; sed ipsa *fidei mysteria*, *à seculis abscondita*, nobis autem in verbo Dei revelata, intelligunt. Cumque hodie Christiana Ecclesia in tres præcipuè sectas scissa sit, quæstio admodùm periculosa & difficilis agitatur, an in qualibet illarum articuli necessarii, adeoque sufficientia ad salutem media reperiantur. Quo quantumvis concesso, falleretur, quisquis promiscuè & indiscriminatim in qualibet Christianæ religionis sectâ salvari quemque posse existimaret. At quantò liberalior (ô utinam non suæ ipsius prodigus!) salutis dispensator est Naturalista, dum non modò in qualibet sectâ Christianæ Ecclesiæ, sed & in Judaicâ, Mahumetisticâ, Gentili, & quacunque aliâ religione, sufficientia ad salutem media promittit, quatenus ubique asseruntur notitiæ communes, traditionibus fidei & aliis additamentis debito facultatum examini reservatis? Latiùs extendere salutis media non poterat, nisi etiam Atheis ea polliceretur Divini æquo profusior beneficij. Cur proinde non quisque in suâ religione servetur, causam haud dicet esse, quòd non suppetant sufficientia ad salutem media, sed quòd quisquis fuerit, vel *nimiùm credat*, vel *parum agat*, id est, sine delectu traditionibus quibusvis etiam ineptissimis fidem adhibeat, hasque dum nimiùm sectatur, pietatem interea & cultum, quem notitiæ communes poscunt, negli-

gligat. Quem in tenorem propemodum se explicat cit. p. 282. *Neque in omni religione salvari posse homines perhibemus. Quomodo enim qui plus justo credit, minus justo perficit, salvus fuerit?*

§. 40. Quæ & alia pensitanti liquet, non injuriâ habitum nobis dictumque esse Naturalistam, qui sub insidiosâ specie novæ methodi nihil perinde agit, quàm ut Orbem Christianum à clarissima luce evangelii ad densissimas cœcæ rationis tenebras, quibus olim longè à salutis viâ huc illuc oberrarunt Ethnici, adeoque à Christiana religione, quæ una hodiè revelata, ac vera est religio, ad naturalem, aut si liceat ὀνομαλογοιεῖν, ad Naturalismum, in quo nulla extra Christum est salus, abducat. Huc enim omnia ipsius principia, omnes hypotheses, omnia denique consectaria collimant. Ne tamen non videatur esse Christianus, qui inter Christianos vixit, nec dubiè pro Christiani orbis cive se gessit: non ita religionem à *naturâ* omnem suspendit, quin etiam *gratiæ* aliquas partes concesserit. Quamobrem statim sub ingressum, ubi elenchum verborum exhibet, *naturam* & *gratiam* conjunxit, velut duo religionis principia, illamque *providentiam Dei universalem*, hanc *particularem describit*, & his titulis alibi passim laudat. Quanquam de *gratia* longè aliter statuit, quàm nostræ Christianorum Scholæ atque Ecclesiæ. Habemus id primum & præcipuum Christianæ fidei momentum, *Scripturam S. Canonicam V. & N. Test. esse verbum DEI, adeoque quicquid asserit vel præcipit, Deum per ipsam asserere vel præcipere.* At nobis non est evidens, Deum per Scripturam loqui, ideoque opus est *gratiâ*, quæ defectum evidentiæ suppleat, faciatque, evangelio tanquam DEI verbo non minùs certò adsentiri, quàm si Deum loquentem audiremus. Et hujusmodi gratiam ipse Deus per verbum suum, iis quidem, qui attentè id le-

gunt vel audiunt, conferre dignatur, nisi obicem posuerint. At Naturalista, negatâ illâ gratiâ, sicut aliorum verorum, ita nostri quoque principii probationem clarissimam ex facultatibus benè conformatis, quasi jure quodam suo, reposcit: nempe ut proferatur aliqua ab ipsa naturâ in nobis descripta facultas, quæ Deum in scriptura loqui non minùs clarè perhibeat, quàm facultates noeticæ, quas fingit, Deum infinitum, misericordem, justum, aliisque præditum perfectionibus asserunt atque attestantur. Quod cum sit ἀδύνατον, in tantâ Divinarum revelationum inevidentiâ; næ eo ex capite auctoritatem Scripturæ & mysteria ejus universa labefactat atque convellit. Interea gratiam ne aspernari penitus videatur, hunc præcipuè in finem admittit, ut per eam religio, non prout relevatione nititur, & *mysteria à seculis abscondita* exhibet, sed quatenus ipsas intra notitias communes subsistit, perficiatur ac consummetur, puta quoad fidem, fiduciam, spem, amorem, & omnem communibus notitiis innixam pietatem. Quomodo *gratiæ* & *naturæ* officia partitur, cum contemtũ gratiæ sibi exprobrantibus respondet p. 192. *Ne interea parum tributũ GRATIÆ Doctores, qui se totos in illâ esse existimant, hisce nostris animadvertant; iterum & iterum dixisse non gravabimur, quòd ex gratiâ perficiantur, per illam accipiantur opera nostra. Principia tamen actionum bonarum è NOTITIIS COMMUNIBUS, sive sapientiâ Divinâ nobis impertitâ derivari, sensu interno edocti perhibemus.* Jamque quid *naturæ*, quid *gratiæ* debeatur, distinctiùs explicans, in exemplum assumit articulum de pœnitentiâ. *Quemadmodum igitur*, inquit, *nullum mortalium conscientiam suam ex industriâ adeò oppilare posse, ut rationem boni & mali in actione quavis tandem non percipiat, extra controversiam situm arbitramur: ita quidem quando ex ratione istâ non satis expensâ, malo perpetrato, totum hominem commoveri,*

& horrore quodam percelli, sensus internus dictat; quando demum ab istis ita resipiscit, ut factorum pœniteat, & in munere suo exsequendo sese aliter præbuisse omninò exoptat: quando denique precibus, oratione & votis ad Deum, quem maximè conscientia docet isto nomine offensum, contendit, & consilium de vita emendatiori init, nihil ultra gratiæ communis (i. e. naturæ) *latitudinem cecidisse, existimandum est. Hucusq; igitur Providentia Divina universalis pertingit*; scilicet quod pœnitentiam attinet. De operatione autem gratiæ post illa sic commentatur: *Quando tamen fide intensiore factâ, Deum insolito more provocamus, & ope suâ salutari dein in foro interno egregiè & inusitatè sublevari nosmetipsos sentimus; ex gratiâ sive providentiâ suâ particulari illustrari animam, & attributo Divino novo sese explicante, nos inconsueto modo affici exploratum habemus.* Tandem mutua *naturæ* & *gratiæ* officia in hæc pauca concludit: *Quod igitur (ut paucis dicam) principia actionum ex sapientia Naturæ, sive Providentia rerum communis desumpta consummat, & in finē perducit; quod denique actiones istas in DEI conspectu gratas & acceptas exhibet, ex gratia est: qua lege terminos & metas Naturæ, sive Providentiæ rerum communis, & gratiæ sive Providentiæ rerum particularis optimè poni arbitramur.*

§. 40. Nos *Naturæ* non eripimus suas partes, quas ab ipsa DEI providentiâ descriptas sibi vendicat, dum communes de Deo notitias aperit, cultumq; & pietatem, quantam totis animæ viribus concipere valemus, Deo soli devovere jubet. Neque qui secùs agunt, hos impunitos dimittit, sed propriâ accusante conscientiâ, impietatis damnat. Quamobrem & Apostolus Gentiles, ne impietati suæ ignorantiam obtenderent, ad tribunal naturæ, & examen conscientiæ ablegabat, ut se ἀναπολογήτους esse intelligerent, quòd *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificâssent* Rom. 1, 20, 21. Neq; Natura dum notitias communes &

his suffultam pietatem præcipit, fidem revelationibus habere vetat: quin potiùs cùm in pluribus se sentit deficere, animos ipsamet ad revelationem, gratiam, & fidem manuducit, secundum illud Tertulliani l. de resurr. carn. *Præmisit Deus naturam magistram, submissurus & Prophetiam, quò faciliùs credas Prophetiæ, discipulus naturæ.* Verùm ubi ex verbo Dei proponuntur summa fidei mysteria, quæ à seculis fuere abscondita, nobis autem in tempore revelata sunt per Dei Prophetas & Apostolos: ibi tacere jubemus *naturam*, sive *rationem*, & *sub obsequiũ fidei*, quam *gratia* in nobis operaaptivam ducimus, hoc uno nixi principio: *Quicquid Scriptura Canonica docet, est verbum DEI, eoque infallibiliter verum*; etiamsi sit supra omnem rationem positum, imò inclinationi corruptæ hominis naturæ contrarium. Sua enim quemque experientia, & ut termino novi Methodistæ utar, ipse *sensus internus* (proh dolor!) docet, quàm verum certumque sit, quod conqueritur Paulus I. Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei: Stultitia enim sunt illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* Quamobrem ut iis, quæ *supra fidem*, *supra rationem*, & *contra carnis inclinationem* in Scriptura S. asseruntur, assentiatur *fides*, *ratio* non adversetur, & animus obsequatur; id omne efficit *gratia*, indita verbo Dei, & quasi innata, quam θειοτέραν καὶ κατὰ ἄνθρωπον δύναμιν καὶ συνέργειαν prædicat Eusebius l. III de demonstr. Evang. Cap. VII. Longè aliter, sed satis crassè hic philosophatur Naturalista, dum *naturam* & *gratiam* intra notitias communes, & actiones illis innixas æquè coarctat, contentus, per gratiam perfici impensiùs, quod natura remissiùs inchoavit, perque illam affici modo insolito, per hanc sensu consueto & naturali. Neque hac consistit revelationis ac gratiæ populator: etiam *naturam rationemque* gtatiæ præponit, eamque fidei, revelationum & omni-

& omnium Dei mysteriorum normam atque regulam constituit. Id quod inter alia brevi ad Sacerdotes paræneſi satis clarè iſtis verbis ediſſerit: *Hæc igitur ſuo ordine retexant expendantq; Sacerdotes, atq; ea, quæ dubia* (ſcil. circa fidem) *ex communis rationis normâ videri poſſint, ex ejusdem rationis principiis ſolvant, ut inde ad ea quæ ſunt fidei, fiat tranſitus. Cum utrique ſua obtingat provincia, ſed nec ulla præclara ſatis fidei, quàm ex rectâ ratione conciliari queat auctoritas. Quamvis enim ſupra rationem planè exiſtat fides, haud aliter tamen ſatis ſolidè ſtatuminari, ſtabilirique poſſe exiſtiment, quam ut intellectus non ſolummodo ſit in ordine ad fidem illam, ſed ut prævia ſit recta ratio, antequam commodus aliquis dari poſſit fidei delect* Quamobrem alibi paſſim exagitat Chriſtianorum Schola. quòd ubi in ſummis fidei myſteriis occupantur, auditores ſuos ab inſanæ rationis examine ad ſimplicem & ſanam fidem revocant. *Si fidem*, inquit, *rationi præponitis, nonne totam excutitis ſtructuræ divinæ fabricam, donorum quæ largitus eſt Deus Opt. Max. contemtores miſerrimi? Liberi denique illius arbitrij (ſine quo illiberalia & neceſſaria eſſetis mancipia, jumenta) perditiſſimi violatores?* l. d. V. p. 159. Nominatim autem reprehendit ſequentia, de *fide implicitâ*, quam vocat, præcepta: *Rationem humanam exauctorandam, Fidem ſubſtituendam eſſe: Penes Eccleſiam ſuam (quæ errare non poſſit) jus divini cultûs extare, cujus judicio idcircò in omnibus inſiſtendum: Neminem ita propriis viribus confidere debere, ut ſacroſanctam Antiſtitum verbiq; cœleſtis præconum poteſtatem in examen revocare ſuſtinuerit: Eorum quæ prædicantur (tametſi captum humanum ſuperent) veras adeò ſubeſſe cauſas, ut non tam ventilandæ, quàm reponendæ fuerint: Deum iſta imò & majora poſſe.* l. de Ver. p. 265. Quorum aliqua nos quidem admittimus, ſed ſanâ, quam Scholæ noſtræ ubique adjiciunt, interpretatione: aliqua autem auctoribus ſuis vendicamus. At Naturaliſta omnia indiſcriminatim rejicit, tanquam quæ *ſeculi & regionis diverſitate tàm falſam*

falsam quàm veram adstruere religionem soleant. Inter alia autem indignabundus in hæc prorumpit: *Proinde nisi ex notitiis communibus veritati sternatur via, & sua cuique articulo tribuatur dignatio, quidnî vel ineptissima quævis obtinuerit sententia?* Ut taceamus reliqua, quibus in Christianas Ecclesias, ubi fide exorbitantem rationem cohiberi præcipiunt, totâ paginâ debacchatur. Concludit autem impiam dicacitatem his verbis: *Nimius essem, si singula recenserem. Satis habeamus, istorum nihil sine communibus notitiis constare posse, quas adeò magni facimus, ut qui proximè ad earum observantiam accesserit, optimum librum, religionem, Prophetam dixerim.* Sed & paulò antè pro primatu Naturæ & Rationis ita scripserat: *Quapropter ex sapientia universali præcognita religionis sanctiendæ sunt, ut quicquid deinde vero fidei dictamine adjectum fuerit, tanquam superluminare & fastigiatum aliquid, substructione istâ fulciatur.* Plura neque attinet ex ipso proferre, neque charta patitur.

§. 41. Quibus ita de novâ Auctoris methodo & subvertendæ Christianæ religionis intentione in antecessum prælibatis, restat atque proximum id quidem est, ut ipsas de Deo notitias communes, quibus religionem circumscripsit Naturalista, videamus, atque examinemus. Reduxit autem ad quinque articulos, quos non iisdem ubique verbis, & aliàs brevius, aliàs prolixius, sæpius autem in hunc tenorem effert: (I) *Esse supremum aliquod Numen,* (II) *Coli id debere,* (III) *Virtutem pietatemq; esse præcipuas partes cultûs Divini,* (IV) *Vitia & scelera quæcunq; expiari debere ex pœnitentiâ.* (V) *Dari præmium & pœnam post hanc vitam.* De quibus jam tria ferè examine libraque egent: primùm an omnes isti articuli sint notitiæ communes, quas Auctor venditat; deinde annon in plures articulos æquè necessarios naturalis religio pateat; denique an isti articuli, & si qui plures sunt naturaliter noti, ad salutem sufficiant, ut non opus sit revelatione, ne illâ quidem, quam Sacer Christianorum Codex exhibet, & quæ Christianæ religionis principium est. Non tàm autem in prioribus duobus, quàm in postremo, quod nobis præcipuè argumentum est propositum, quanquam & in duobus illis, quantum in rem esse videbitur, operam contendemus, idq; futurâ dissertatione: dehinc disputaturi pro veritate & necessitate Christianæ religionis, quam Naturalista, dum quinque articulos ad salutem affirmat sufficere, impiissimè negat atque convellit. Deus ter Opt. Max. Cœpta nostra prosperet & feliciter secundet!

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786517301/phys_0072
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786517301/phys_0076
DFG

uus, si præpositâ negatione *non pro*
m dicas, idem quod anteà dixisti,
mortuum. Quando de diversis in
ar, utrum dissentiant in fundamẽto
m id præsupponitur, quòd dissenti-
iant, quærendum est. Dissentire
orum hic unam, ille alteram con-
tur: itaq; priùs an sectæ eò usq; scin-
,ut affirmet una, quod altera negat,
em sæpissimè nisi ab utrâq;, ab alterâ
erè dissentiãt ac sibi contradicant, al-
vult videri dissentire ac contradice-
ocutione vel homonymiâ vel ambi-
n significatione sic involvit senten-
s speciem præferat: cùm si qua, non
is & vocibus consensio, in re autem
raque dissensio deprehendatur. Cùm
ido non amplius quàm in verbis dis-
nninò consentiant: vult tamen alte-
entire, ut quàm longissimè ab alte-
t, seu ne schismatis desit materia, seu
Exempla circumspicientibus passim
hic Syncretistæ & Schismatici inge-
æquè peccant. Quò rectiùs aliqui
πίζειν, fingunt sæpè, se de hoc vel illo
, cùm reverà dissentiant: Alii quò
hisma vel alant, fingunt contrà, se
ate dissentire, cùm si non verbis, re
Nihil autem facilius est, quàm frau-
nguendo à re verba, inque his & ge-